



OBERT

DE

VENÆ SECTIO[NE]









AUDOMARI 160
















PARÆNESIS
Secunda
De Venæ Sectione
in PLEURITIDE
M. A. Obert Art. & Med. D.
Sanctomari
Typis Vid. Boscardi
EXPERIENTIA
RATIO
1635

DE VENÆ SECTIONE IN PLEVRITIDE,

PARÆNESIS SECVNDA;

Contra paradoxam Fuccij & Fernelij doctrinam.

SEV

Anacephalæosis omnium penè Controuersiarum, quæ Parænesis prima & pro ea scripta Apologia atque Analysis contra D. Lud. du Gardin Med. Professor. Duacens. continebant, sicut & nouissimæ illius declamationes quatuor.

ACCESSIT

De Venæ Sectione in Variolis administranda, contra popularem errorem, assertio.

AVTHORE M. A. OBERT
Audomarensi Medico,



AVDOMARI,
Apud Viduam CAROLI BOSCARDI, sub signo Nominis IESV. Anno 1635.

AMPLISSIMO

AC

REVERENDISSIMO DOMINO

D. PHILIPPO GILLOCQ,

MONASTERII S. BERTINI
Abbati Religiosissimo,

Sacræ Theologiæ Licentiato,

Archarum Comiti. Poperingarum
Toparchæ, &c.

In submissi, ac deuoti animi Testimonium, debitæ gratitudinis Symbolum, perpetuæ obseruantiæ Monumentum. D. O. C.

M. A. OBERT.



ECTE', vt mihi quidem videtur, Euripides
Αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι: *In Hippo.*
nam ferunt antiquitùs frequenter

 in

in ſacrificijs à veteribus obſeruatum, vt ſi cæſa priore hoſtia ritè Dijs perlitatum non fuiſſet, ſacra repeterent, ſecundâ victimâ longè meliora ominantes; Non abſimili ratione, R.me Præſul, mecum impræſentiarum agẽdum eſt, nam cùm non ita pridem Paræneſim primam præcipiti ac rudiori calamo vulgaſſem, aduerti poſtmodum in eâ multa ſcitu explicatuque neceſſaria à multis deſiderari, nonnulla etiam conciſè dicta, pleraque indiſcriminatim; Quare ſecundam hanc practico puluere ſordidus, maioris dilucidationis gratia, bonique publici cauſa conſcripſi, Veſtroque nomini velut alteram victimam meliùs ominatam litari æquum eſſe duxi memor Homerici,

Odiſſ. γ. Πάντες δὲ θεῶν χατέυς ἄνθρωποι.

Cuinam verò mortalium hoſce ingenij mei fœtus potiori iure ſacrandos obtulerim, quam D. T. cuius perpetua beneuolentia in dies fouemur? Iam enim à viginti & amplius annis, à fœlicis memoriæ prædeceſſore tuo Loemelio Celeberrimi Monaſterij, cui modò præes, Abbate integerrimo in Medicũ aſſũptus ſum, atque ab eo tẽpore cõmiſſam ſic peregi curam, vt D. T. religioſorumque omnium fauores varios ſupra meritũ ſæpius expertus ſim; Quibus, vt aliquatenus reſpondere valeam, nullum gratitudinis promptius occurrit argumentum, quam hæc opellæ meæ appenſa teſſera, in qua præter bonum commune Reipub. ſpecto nihil; In eo ſanè, R.me Præſul, ardentiſſimum tuum ſtudium æmulatus, quo in publicam vtilita-

tem omni cura, virtute, auctoritate fortiter incumbis. Hinc fit, vt Te huius Sanctomariæ Vrbis, cuius muros B Fulco etiam Cœnobij vestri Abbas olim condidit, egentiores veluti stellam alteram polarem clarissimo fulgore coruscantem, & liberali ac quotidiana liberalitatis influentia miseros recreantem publica voce depredicent; nempè predecessorum tuorum vestigijs constanter insistis, qui & Pietatis & Iustitiæ summi cultores Dei beneficia cumulatissimè in suos subditos congesserunt. Verùm hæc decora cum Maioribus Tuis vtcumque sunt communia, maiora cerno & noua, tibique singularia. Atque in primis Viros appello cuiuscumque ordinis & instituti religiosos, quos tanto hactenus, tamque constanti affectu

fectu profecutus es vbivis locorum, vt Te inter primarios patronos iure meritissimo numerent; Nominatim verò D. Francisci familia statim ab inauguratione tua Poperingas euocata, ibique peridoneo stabilita Domicilio eximium tuum Pietatis ac Religionis ardorem commendat; Quid referam quantis impensis sacram Ignatianam molem in cœlum erexeris? vt castissimum D. Bertini Templum marmoreum reddideris? ornamentis pretiosissimis illustraueris? maiorem aram auro argentoque locupletâris? Monasterij claustra peristylijs elegantibus auxeris? Magna sunt illa & talibus operibus Heroas ęstimari gloriosum est; vereor tamen ne dum his lucem adferre studeo, tenebras potius calami mei nebulis offudisse


 videar.


videar. Venio nunc ad alterá eamque potiorem causam, quæ scriptionem hanc meam ad Te iubet excurrere, scilicet magnum authoritatis ac eruditionis tuę pondus; Siquidem hisce velut firmissimis duobus propugnaculis armatus in arenam liberrimè descendam; Eruditionis quidem tuę munimine, quia cum litteratis arduum mihi est negotium: authoritatis autem prçsidio, quia cum maleuolis mihi dissidium.

Neque enim ignoro quam plenum aleç opus suscipiam, in quo noui quid introducere dum videbor, plurima mihi sustinenda erunt quæ debacchari in me volét à quibus nouitatis insimulabor. Vides igitur, R.^me^ Præsul, quàm meritò ad declinanda obtrectatorũ scommata in Protectionis tuę asylum

inuolem: Quare ſi qua humanitate, ſi qua beneuolentia cordatos viros & litteratos omnes amplecteris, me, licet illorum infimum, fauentibus oculis intuere, atque hunc meum qualemcumque fœtum, quem candidiſſimo pectore Nomini Tuo velut tutelari Angelo venerabundus inſcribo, benigniſſimo tuo, quo ſoles, affectu æternùm foue, ac tuere.

Audomaropoli è Muſeolo noſtro 15. Aprilis 1635.





In Parænesim secundam Doctissimi Expertissimique Domini, D. ANTONII OBERT, Audomarensis Medici.

DVm venam vacuas geminum tundenda lacertum,
Euacuas quidquid sanguine pleura dolet;
Dùm vacuant alij directâ parte secantes,
Vulnus alunt venis, pleuraque læsa manet.
Perge age, Oberte, feri latus hoc modò, vel latus illud,
Turma licet dictis Ferneliana fremat:
Clamet Gardinus, varioque Academicus ore,
Clamet Apollinei liuida turba chori;
Sola morata suos flebit Libitina clientes,
Dùm meliùs ciues Vrbs benè sana colet;
Quin modo Obertinus fiet meliore palæstra,
Qui prius in fatum Fernelianus erat.
Si sapis, ô Medice, hæc palinodia dicta placebit,
Desipit, hunc quisquis sic sapuisse negat.

Accinebat D. IOANNES DE FLANDRES Monasterij Sancti Bertini Religiosus & Oeconomus.

LECTORI BENEVOLO. S.

AN non meritò tibi dolendum videtur, medice lector, hoc sæculo cùm Celso, Galeno, ne dicam Hippocrate longè inferiores floreant medici, medicinam tot erroribus popularibus laborare? Quippe & indignum prorsus & detestandum sit, Agyrtas & personatos medicos, quibus audacter mētiri & splendidè vestiri volupè est & incautam plebem decipere, in pretio haberi, dum interim veri probatissimique medici, qui imperium sibi cum dignitate retinent, sæpè contemnuntur. Quorum causam dum perquiro, tanti mali tantique contagij fructus & seminia vt plurimùm Gallis scriptoribus adscribenda esse comperi: Horum enim plurimi dum ingenij ruditate, vel laboris impatientia Reipub. med. nil noui addere possunt, quod pręclaris & in arte Apollinea exercitatis viris probetur, studentque nihilominus corticarij Doctores, quid aureæ barbæ condecorum producere, & apud imperitam multitudinem, cuius marsupio cautè insidiantur, excellentis medici nomen, quo plura emungant, obtinere, quamplurima medicorum volumina vernacula reddiderunt, & neruosè scripta in immensam garrulitatem auxerunt, atque vt sua esse putentur turpi mangonio deformarunt: Quod scribendi cacoëthes sacram

Theo-

Theologiam cerdonum & lixarum iudicio sic etiam prostituit, vt tot animarum mortes per hæreticos, quot corporum interneciones per pseudomedicos patratę sint. Nouissimè Helluo ille Paracelsus vernaculis scriptis totam Germaniam, & huic vicinas prouincias eiusmodi bullatis medicastris & nebulonibus impleuit, dumque se medicinæ nouæ monarcham gloriatur, antiquam & Galenicam se euersurum profitetur, bona quæ habet pauca ab Hippocrate, tria illa chymica principia à Ioanne Valentino & Isaac, de Gradationibus librum ab Arnoldo & Lullio, de Arcanis à Rupecissa, Synonyma ab Arlando, varia à Tritemio, Chyrurgiam à Lanfranco surripuit, quæ omnia, suis maledictis, contumelijs, magicis, superstitiosis & horrendis in Deum blasphemijs conspersit. Quis credat Ludouici mercatii Hispani animam admiranda metempsichosi in Laurentium Gallum fœliciter transmigrasse: ni doceret Gallus Riolanus? & reuera F. Valesij etiam Hispani ingenium gallicam metamorphosim ab eodem passus est. Quot Galli Vesalij anatomem suam furto fecerunt & ἀχάριστοι erroris falsò insimularunt? At verò quid his annis nouissimis inutilius facere potuit *Abaham Framboisiere*, quid nocentius quam, quæ compilauit, paraphrasi Gallica vulgare? Cum enim Typographus qui latinè excuderat lucro sperato fraudaretur, quod ab artis peritis tales rapsodiæ non emerentur, & à Professoribus Parisiensibus in cathedris flocci-

Anthrop. lib. 1.

fierent,

fierent, vernacula reddidit, vt quæ medicis non placebant, Agyrtarum, barbitonſorum, atque myropolarum manibus coëmpta tererentur: Similis ferè calamitoſo Luciani, qui truncatis frigore pedibus, appoſitos ligneos, inauratis ſoccis veſtiebat, ijſque ſubinde renouatis aliorum humeris innixus infœlicitatem ſuam gloriosè ſolabatur: Porrò & qui aulici fieri non poſſunt ſe citharedos etiam fieri gloriantur. Enimuerò dum lectoribus & epiſtola ad D. *le Maiſtre* ambroſiam ſe quandam Chymicam edocturum pollicetur & Paracelſum malæ fidei Agyrtam deprædicat, eo ipſo ſe agyrtam clarè profitetur: Dum ambroſiam illam venditans, qua Principes & Optimitates & delicatulæ, molliteque, nec non aulicæ Heroinę titò, tutò & iucundè purgari vel minima quantitate poſſint, fumos vendit; dum, inquam, omnes ad ſe hac arte euocat & emungit, ipſe ſibi ſcientiæ ſuæ, veriùs dicam inſcitiæ arcanum recondens, quod agyrtarum proprium eſt, turpiter imponit: nempè grana aliquot ſcamonij, guttæ gambæ aut huiuſmodi hipercatharctici, aut fortè metallici validioris & venenati tragematis, paſtæ regię & ſimilibus bellarijs & decipulis callidè immiſcet. Quod autem hic & ſimiles prætexunt Hippocratem & Galenum vernaculè ſcripſiſſe, admittimus: tunc equidem typographię defectu, calamis laborioſis hæc duntaxat in ſcholis aperiebantur; Porrò pagina ſacra ſic ſcripta, germana facta infinitos proſtrauit; Dum verò medicis regijs Heroardo

Luci. in indoct.

Epistola ad Hero & Mag. roardo & Magistro se sic sua gallicè vulgaſſe scribit (malefacti conscius) vt, plurima latinè interserendo, solummodò doctis vtilia eſſe poſſint, omnibus pariter illudit, *etenim* vti scribit F. Valeſ. *In præf. cont. lib. 6.* *medicus latino sermone carere non poſſit sine magna turpitudine; græco nō sine turpitudine solùm, sed ne quid sine magno artis diſpendio.* Cum verò fatetur sibi doctoratum ineunti, clauſum primò librum mox apertum oblatum vulgi docendi gratia, an non ipse periurij arguendus eſt? qui contra Hipp. iuſiurandum quę ὡρκισμένοις νόμῳ ἰητρικῷ, ἄλλῳ δ' οὐδενί propalare debuit, Agyrtis, è myropolio & tonſtrina doctoribus impudenter expoſuit, & impotentiam induſtrij laboris oſtendit. *In lege.* Cur? quia inquit, Hipp. τὰ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται: βεβήλοισι δ' οὐ θέμις πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπιστήμης. Præclarè vt verè apud Cardanum Socrates, qui *Lib. de Soc. Stud.* *medicinam* inquit, *communicant populo morte digni sunt, nec ſimplici eorum enim facti periti medici acceperunt iudicem populum vt errare cum illis cogantur, aut ſi rectè agendi perdurare velint atque reſiſtere, caſus infœlices illis tribuantur:* Ex quo maximè fonte errores populares pullularunt. *Anno 1613.* Quæ mecum seriò reputans Parænesim in lucem edidi de Reuulſione in Pleuritide contra paradoxam Fucc. & Fernelij doctrinam; Deinde contra Gardinum Duacenſem Profeſſorem Parænesim impugnantem, apologias; periculoſum enim cenſui eos, qui cathedras occupant, diſcipulos præ-

ua hæresi imbuere, à qua postmodum non facilè dimoueri possunt: Nam

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diù.

Verùm cum nec his sibi satisfieri putaret ille imò ignorantiæ notam inuri, Rursum in Doctorum Duacensium consessu, quatuor quodlibeticis declamationibus summa contentione non parenesim perstrinxit, sed pareneticum contumeliis lacerauit, eas declamationes iniuriarum & scommatum plaustra vulgauit, quibus ego dissimulatis (neque enim rationibus agentem calumnijs terreri decet) noua ibi passim conspersa sophismata refutare æquum esse duxi, ne neophyti medici pernitiosissima ea heresi imbuti obuios quosque innocenter prosternerent. Cum autem in Morino nostro tractu popularis error inualuerit, variolis affectis venę sectionem mortalem esse, errorem & illum celeri calamo etiam tetigi:

Neque miraberis, lector, si tot citationibus & authoritatibus te fatigo, quādoquidē enim mihi cum academicis sit disputatio, quibus graue videtur à practicante medico suas conclusiones refutari aut in dubium reuocari, sic citationibus agere coactus sum productis verbotenus etiam Clarissimorum Professorum sententijs; Neque enim velim me huius doctrinę inuentorem existimari, quo mihi gloriolam aucuper, ingenuè quippe profiteor eam doctrinam esse perantiquam, à multis sęculis receptam, à doctissimis quibusque receptam, & experientia quoti-

diana

diana confirmatam, contrariam autem nouam & paradoxam à tramite veritatis deuiasse ambitione eorum, qui dogmatis nouitate apud rudiores aut quamplurimos famosi haberi voluerunt: Dolendum sanè, quod scribit F. Vales. de cathedrarijs quibusdam *Nostro sæculo catenus gloriæ cupido processit à virtute seiuncta, vt ambitiosè gloriam aucupemur fuccatis verbis tyronibus imponentes.* Vobis itaque candidis medicinę sectatoribus excutienda damus præcordia, *non quibus* quod ait Ant. Vales. *intonsa sit velut Æsculapio barba,*

Præf. in lib. 4. cõt.

Præf. in Holl.

Quibusque retortis Pæonium in morem senior sit forma Capillo, qui terendo calceos potiùs quam mentem exercendo, medici syngraphistæ nomen apud vulgum & credulos sibi compararunt, Sed & nostra hæc qualiacumque, seniorum Apollinis mystarum censuræ propono. Et verò,

Quid de prima Paręnesi senserint Varij, pręter aliorum medicorum litteras, quas apud seruo; Clarissimorum medicorum dictitant sequentes Doctissimi Fieni Professoris primarij in academia Louaniensi, & Excellentis viri D. Andreę Treuisij Albertij Pij Principis nostri protomedici & Consiliarij, Epistolę;

Ornatissimo Eruditissimoque viro, D. A. OBERTO Vrbis Audomarensis medico. S. P.

O*Rnatissime Domine, Recepi litteras tuas vnà cum Parænesi tua, innicē mitto tibi librum*

librum hunc meum gaudebo, si intelligam ità tibi meum placere sicuti tuus placet mihi. Ostendit te virum esse doctum, & eruditionis ac studiorum amantem, qualem in minoribus vrbibus & extra Vniuersitates non putabam reperiri. Heri post prandium eum recepi, nunc rescribo tibi, itaque leniter eum percurri, sed non exactè adhuc examinaui. Cum maiore attentione breui legam. Vale Louanij 5. Aprilis 1629.

Tui studiosissim' THOMAS FIENVS.

Clarissimo atque Expertissimo Domino ANTONIO OBERTO Audomaropoli medico.

CLarissime atque expertissime Dñe Doctor & festinanter tuis humanissimis respondere debeo propter subitum discessum D. Procuratoris Regij Taffini, & propter occupationes continuas & ingentes. De tua disputatione cum Clarissi. D. du Gardin pluribus cum ipso egi, ostendique te potuisse meritò sustinuisse illam opinionem de vena secanda in pleuritide, tibique datam non leuem occasionem fuisse contra illum inuehendi. Responsum ab ipso à multis mensibus non habui. Et ni fallor ex litteris meis conciliationem variarum sententiarum de venis diuersè secandis ratione pleuritidis occasionem arripuit. Ganisus

ideò summoperè fui legere postremam tuam analysim, quod viderim breui resoluentem. Vale & me amare perge, Bruxellis 19. Nouembris 1631.

T. D. Addictissimus ęternùm
ANDREAS TREVISIVS.

CLarissime atque expertissime Dñe, Inter chartas euoluendum mihi inciderunt in manus literæ, quibus Clariss. D. Professoris du Gardin redarguebam in te conuiciandi nimiam libertatem. Eas quin ad te mitterem in tanta difficultate vt posteritati prodessem, omittere non potui: quia & faciunt ad tua existimationis integritatem. Viue igitur & vale, Bruxellæ 3. Maij 1633.

T. D. Addict. AND. TREVIS.

Copia litterarum D. Andreæ Treuisij ad clarissimum virum D. du Gardin in vniuersitate Duacenâ medicinæ regium professorem.

CLarissime atque expertissime Dñe, duorum tantùm dierum intercapedine tuas & D. Obert Audomarensis Medici clar.mi cum gaudio, & non fine tristitiã amicas litteras accepi. Tuas cum quæstione medicâ, an in pleuritide venæ eiusdem lateris perpetuò sit secanda, cuius affirmatiuam M. Eustachius du Pire (quod melio-

melioribus auſpicijs feciſſet, ſi cum agnomine *du meilleur* loco *du pire* in arenam deſcendiſſet) ſuſtinuit. A Domino autem Obert ſuas habui cum Apologia contra te pro defenſione ſuæ parænesis. Vterque apud me conqueritur de ſibi inflictâ notâ magnæ acerbitatis & contumeliæ. Inuenio autem vos in facto (vt inquiunt, cauſidici) cõtrarios eſſe. Siquidem tu ſcribis te theſes tantum diſcipulis diſputandas in nullum ſtringens acumen dediſſe; immeritòque te offenſum ab illo fuiſſe. Is verò in litteris ad beneuolum lectorem, & ad me, non parum inculcat, ſe neſcire quo pulſus genio, multis ſcomatibus ſuam parænesim exceperis, & vulgato decreto iactantiâ & dicterijs ſuffulto condemnaueris.

Doleo inter doctos viros & amicos meos ingenia exulceratis mentibus acui, quæ moderatis animis deberent ad Reip. bonum conferri. Epiſtolium porrò tuum lego, quod cum ipſis theſibus ad illum miſiſti, breuiſſimum quidem, ſed prudenti virorum indicio, longè, latèque in deſpectum, contumeliam, ac deriſionem eruditi D. Obert exaratum. Sic enim ſcribis: *Ornatiſſime Dñe, remitto has theſes pro tuâ paræneſi ſpongiam magnificam*

An-

Augusti nempè vel Caligulæ, vtere valebis. Vix credi potest te sine magnâ aliquâ animi perturbatione ad illud venisse, nisi enim D. Obert antea occasionem aliquam sibi sic in eum inuehendi dederit, liquidò constare potest te sponte illum percellere voluisse. Sed quid? Senescentis huius mũdi pruritus talis in disciplinis deprehenditur, vt vix aliquid sine contentionis asperitate traducatur. Et tamen disputationes præsertim medicæ, agitari debent ad hominum salutem, non ad aliquam ostentationem, minusque ad alterius famæ proscindendam integritatem.

Neque illum prorsus excuso, potuisset enim & ipse suspensis (si non blandis) verbis, iniuriam quam sibi factam obtendit soluisse, & non tantum amaritudinis effundere, sed & formicæ inest sua bilis. Ambo igitur in inuestigandâ reuulsionis per sanguinis missionem natura, sermonis intemperantiâ exundantes fuistis. Auersione igitur & diuersione pungentium verborum pectus à plethorâ iracundiæ ad gratiarum aram reuocare debetis. Quandoquidem non modo virtutis non est, sed potius immanitatis omnem humanitatem in tumidum eos velle repellere.

Porrò vult ille quod aliquando cum

ratio-

ratione & vtilitate debeat fieri in pleuritide ſanguinis miſſio ab oppoſito latere: Tu nunquam ab ipſo faciendam eſſe, ſed ab eodem ſemper conſtituis. Is reuulſionem dari ſectâ oppoſità venâ propter baſilicæ communionem ſubclauicularium venarum: Tu eam inficis, & per Anaſtomoſim præſtari oſculis venarum intercedentibus aſtruis. In ſecundum rectitudinem ab inferis & ſuperas, & è conuerſo, partes, reuulſionem tantum haberi ſtatius. Ille verò ſecundum latitudinem conſiderato vaſorum ab vno caudice in duas partes diuiſionem benè contendit; qua ratione poteſt retrahi ſanguis ab vnâ ad alteram. Vterque habet & ſuas authoritatibus & rationibus vallatas opiniones: Ita vt ſi in theſibus (vt ad me ſcribis) manſiſſes, & non ſpongiam atramento repletam Dño Obert miſiſſes, nihil amaroris, nihil contumeliæ exortum fuiſſet.

Attamen vtilem fuiſſe & acrem concitatamque de ſanguinis miſſione in Pleuritide veſtram contentionem ſentio. Quià reuulſionis, deriuationis, & euacuationis conſiderationes exactè fuerunt expenſæ, & iam laxatis animis ad maius bonum ſunt dirigendæ: quandoquidem ex veſtris ſedatis laboribus (niſi mutuo odio cor-

rumpantur) ſubtilioris doctrinæ atque experientiæ fructus excipientur non pœnitendi. Bilis enim ad grauiorem mentem excitat, ſed nimis æſtuãs ipſam perturbat.

Niſi autem intercederet doloris vrgentia, quæ ſæpè habet rationem cauſæ, niſi impetus fluxionis ſimul aliquando poſtularet cum euacuatione reuulſionem, niſi virium imbecillitas aliquando impediret multiplicatas venæ ſectiones, niſi ætas, niſi locus, affectus aliud præſtandum indicarent: niſi partes, vel partium tranſmittentium ratio aliter eſſet habenda: niſi occaſio in Pleuritide tam præceps & varia ſe offerret arripienda Medico, in tuam propè venirem ſententiam.

Verùm cum tam variè hæc omnia ſe offerant, conſiderandũ cum D. Obert exiſtimo aliquando ab oppoſito latere ſanguinis miſſionem cum vtilitate fieri poſſe, cum ſcilicet beneficium euacuationis cum magna reuulſione ſtatim requiritur, ſæpè etiam vocato medico cum magnâ ex parte iam factus eſt confluxus: & vel maximè quia vires ſunt expendendæ non tantùm ad augmenti inflammationis impeditionem, ſed expectorationem, cuius ſolo defectu non pauci pereunt. Vndè poſteà ad ſanguinis miſſionem ex proprio la-

tere deueniendum, quia ſanguinis miſſio ex pede ad diuerſionem in tantâ vrgentiâ nullum prorſus aut tardum præſtat auxilium. Si Galeni ſententiam admittimus ex oppoſito latere vel obſcuram, vel poſt temporis interuallum percipi vtilitatem ſolâ ſcilicet conſiderata doloris acerbitate illud excipiendum.

Quid ſi à plenitudine capitis propter in ſole moram in pleuram defluat ſanguis, reliquo corpore minimè plenitudine laborante? An non reuulſio cum euacuatione meliùs ác vtiliùs fiet ſecta vena ex cubito oppoſiti lateris, quam ex pede? vt & virium habitâ ratione, quod multiplicandæ perperam ob dictas rationes non ſint ſanguinis euacuationes.

Ita vt non ſemper ſecundum rectum & in maiori diſtantiâ ſecta vena in pleuritide opportunam reuulſionem faciat. Quorum omnium ratione, & aliorum ſimilium exiſtimandum eſt præſtantiſſimos Medicos ob inexpectatos euentus in cõtrarias abijſſe ſententias; quia omnibus etiam tempeſtiuè adhibitis remedijs, & ex quauis venâ educto ſanguine præter ipſorum opinionem, nullo commiſſo ab ægrotantibus errato, non paucos obijſſe animaduerterant, ſuſpicione apud eos perſiſtente,

te, quod ex coniecturis non ſatis certis de plethorâ totius & partis, de motu ipſius ſanguinis, de plusquam par eſſet educto ſanguine curationem exercuerint, perpetuæ enim eadem ad remedia non poſſunt eſſe indicationes. Vnum enim celeritatem auxilij poſtulat, aliud maiorem ſecuritatem, inter quæ & quantitas remedij, & occaſio adhibendi varia, & medico non omninò certa. Vndè omnia cum circumſpectione conſilio Hippocratis ſunt facienda.

Firmatur quidem iudicium ex adæquatis in medicina rationibus, ſed rationes in praxi medicâ propter dictas coniecturas, & varias occaſiones experientiam non rarò caſtigatricem habent. Experientiam autem ſibi quiſque conſtituit pro ſui non ſolùm ingenij acumine, ſed occaſionum ex euentibus ſuſceptâ indagine quæ medicos in hæſitationem adducunt. Sumpto enim argumento à iuuantibus & nocentibus in medicinâ non parum valido, ex accidenti aut non benè ab ipſis percepto variè de cauſis, & de morbi eſſentia, vel ſtatu iudicant. Sicque de Venæ Sectione in Pleuritide opinio habuit, habet, & habebit ad vtramque partem rediuiuos ingenuos aſſertores.

Propter

Propter quod & Ariſtoteles ſubtilis ingenio, naturæque magnus interpres, opinionum (& aliarum rerum)circulum ſtatuit eſſe. Ex torrente ſiquidem renaſcentium in animis notionum vſu atque exercitatione conſuetarum opinionum conditione faſtidita mente, ſenſim variæ inducuntur opiniones. Quod in ipſiusmet Pleuritidis facilè obuenit curatione. Diuerſis enim ſæculis contrariæ præualuerunt ſententiæ. Ex varia etiam ſi velimus Cœli conſtitutione. Ad quam Galenus etiam illud Hippocratis obſeruandum. An aliquid Diuini inſit in morbis ordinarias eleuat reſolutiones.

Neuter igitur alterum tamquam ineptum & indoctum arguere poteſt, cum vterque ſuos habeat præſtantes authores, & cum generoſi conatus nunquam ſint inficiandi. Boni conſule ea quæ ad conciliationem inter vos amicitiæ comparaui, & vale vt valeas Rempublicam literariam ad medicinæ decus, atque vtilitatem promouere, Bruxellæ penultima Maij 1631.

QVÆ

QVÆ TOTO OPVSCVLO *continentur.*

ARTICVLVS PRIMVS.

STATIONE PRIMA.

Continet Authores & eorum sententias, qui directa sectione reuulsionem faciendam asserunt. Pag. 1.

STATIONE II.

Producit authores qui oppositam. pag. 5.

ARTICVLVS II.

Primò continet aphorismos ex Hippocrate, & Galeno in quibus reuulsio ad opposita fundatur. pag. 13.

Secundò, Canones vndecim ex aphorismis concinnatos. pag. 17.

ARTICVLVS III.

Oppositæ sectionis ideam canonibus & aphorismis conformem adaptat. pag. 20.

Quamdiu reuulsio ad opposita conueniat. p. 20.

De scarificatione topica. pag. 23.

De thoracis perforatione. pag. 24.

ARTICVLVS IV.

Idea præcedentis fundamenta & conclusiones repræsentat. pag. 27.

Quid sit Reuulsio. pag. 28.

Quid

Quid pleuritis & eius differentiæ. pag. 28.
Quo morbi tempore reuulsio conueniat. p. 33.

ARTICVLVS V.

Aduersæ sententiæ fundamenta declarat. pag. 40.
De Anastomosibus disquisitio. pag. 41.
Anastomosis triplex Originalis, terminalis & per coïtionem siue vnionem. pag. 41.
Originalis causa finalis. pag. 41.
Terminalis finalis causa. pag. 47.
Vnionis siue coïtionis. pag. 50.
An arteriæ cum venis coëant & quomodo: & an sit ex his in illas materiarum refluxus per anastomoses. pag. 50.
An sanguis ex pulmone venæ sectione refluat in cauam. pag. 61.
An arteriæ epigastricæ ascendentes & mamillares descendentes anastomosi vniantur ita vt sit ex his in illas refluxus mutuus. pag. 62.
An venæ extremitatibus vniantur & coëant anastomosi. pag. 63.
An venæ portæ & cauæ apices in hepate anastomosi vniantur. pag. 69.
An in placenta siue iecore vterino, matris & fœtus arteriæ & venæ anastomosi vniantur. pag. 82.
An fœtus in vtero viuat propria vita, an matris. pag. 102.
An motus cordis pendeat à motu pulmonis & an pulset in fœtu dum vtero geritur. p. 103.
Pus empyicorum quibus vijs purgari possit. pag. 102.
An per Anastomoses lac & sanguis ab vte-

ro ad mamillas refluere possint. pag. 121

Partium omnium consensus unde. pag. 125

An Azygota orificio & alijs quibusdam venis sint valuulæ. pag. 131

ARTICVLVS VI.

Secundum directam secantium fundamentum examinatur. pag. 137

An in reuulsione oporteat criticas enacuationes imitari. pag. 137

Quid crisis quando & quomodo fiat. pag. 138

An communio directa pendeat à fibrarum rectitudine. pag. 143

An critica directio & vacuatio fiat per occultas anastomoses. pag. 146

ARTICVLVS VII.

Directam & saphenas secantium ad reuulsionem rationes examinantur. pag. 256

Κατ' ἴξιν quot modis dicatur. pag. 162

Excursio ad Querelas Gardini. pag. 205

Prima, Parænesis titulum defendit. pag. 207

Secunda, ostendit Galenum ad reuulsionem in pleuritide nunquam saphenas secuisse. p. 212

Tertia, saphenarum sectiones ad reuulsionem condemnat. pag. 216

Quarta, docet saphenarum sectiones, non ita prodesse vt opppositam sectionem ad reuulsionem. pag. 220

Quinta, ex venarum communione originali, oppositam melius secari quam saphenam ad reuulsionem. pag. 222

Sexta, Communionem originalem ad reuulsionem permultum interesse asserit. pag. 227. sicut

Sep-

Septima & Octaua, in qua discutitur quamlis reuulsio ad opposita fieri possit sicut & vacuationis quantitas. pag. 239.

Nona, ostendit in pleuritude non esse cunctandum, nec nimis sanguini parcendum. p. 251.

Decima, explicat Galeni locum art. med. 5. sanguinem impactum & extrauenatum vena sectione retrocedere non posse. pag. 257.

Vndecima, reuulsionem cum deriuatione commixtam non esse reuulsionem contendit. pag. 257.

Duodecima, morbum in fieri duntaxat, morbum malè dici disputat. pag. 269.

Decima tertia, Gardinum malè diuisisse sanguinis euacuationem in suas species, sicut & malè definiuisse reuulsionem ostendit. pag. 277.

Decima quarta, negat arterias pleuram perreptare. pag. 290.

Decima quinta. Deriuationis definitionem à Gardino allatam improbat, & sanguinem in parte affecta contentum & extrauenatum vena retrocedere posse negat. pag. 294.

Materiam variolarum extrauenatam retrocedere non posse. pag. 297.

Variolæ à spiritu virulento eleuantur. p. 300.

Lud. Dureti *de reuulsione ad opposita conclusio.* pag. 303.

QVÆSTIONE MEDICA.

An in variolarum cura vena sectio conueniat. pag. 304.

An purgatio. pag. 324.

Autho-

Authores qui hoc opuſculo citantur & qu rum opera vſi ſumus.

A

Acachias. Aetius.
Alexander. Aphrodiſæus. Alſaarauius.
Albertus Anglicus.
Altomarus. Alexāder.
Andreas Thurinus.
Andernacus.
Amatus Luſit.
Apollonius. Arantius.
Ariſtoteles. Aretæus.
Archigenes.
Arnoldus Villanoua.
Archangelus Picolomineus. Aſclepiades.
Aſelius. Auerroes.
Auicenna. Auenzoar.

B

Bauhinus. Bartholomeus Euſtachius.
Barthol. Mōtagnana.
Benedictus Veronēſis.
Benedictus Victorius
Briſſotus.

C

Cardanus. Carcanus.
Caprilius. Capiuaccius
Caſſerius.
Carolus Stephanus.
Celſus. Conciliator,
Columbus.
Ioan. Bab. Cananu
Chriſt. à Vega.

D

Diocles. Duretu

E

Eraſiſtratus.

F

Fabricius ab Aqu pendente.
Franciſcus Valeſiu
Fallopius. Fernelii
Fienus. Fœſii
Fuccius.

G

Galenus. Gattinar
Galfridus Cōdiace
Iul. Guaſtauiniuss
Gordonius.
Gentilis de Fulg
Giacinus. Gradi
Guanierus.

H

Halliabbas. Hercul
Heurnius. Herophy
Hippocrates. Holler
Huartes.

I

Ioannes Tornamii
Iſaac. Ioubertu

L La

17. fol.

L

Laurentius.
Pet. Laurenbergius.

M

Lud. Mercatus.
Hier. Mercurialis.
Maſſaria.
Marſilius Ficinus.
Meſues.
Montanus Dixmudanus. Mundinus.

O

Oribaſius.

P

Paulus. Paracelſus.
Simon Petreus.
Plato. Praxagoras.

Q

Quercetanus.

R

Rhaſis. Riolanus.
Mart. Rulandus.
Rufus Epheſius.
Rondeletius.

S

Sanctorius. Scaliger.
Solanus. Sennertus.
Siluius. Spygelius.

T

Themiſtius.
Thadeus Dunus.
Toſtatus Abulenſis.
D. Thomas.
Trincauellius.

V

Valeſius Tarentinus.
Valeriola.
Iac. Wecherus.
Veſalius. Valuerda.
Vidus Vidius flor.

Z

Zabarella.

Errata.

Pag. 37. lin. 26. lege παροχετεύειν.
Pag. 243. lin. 10. lege *llama*.
Pag. 258. lin. 16. lege ἐπικενοῦν.
Pag. 297. lin. 15. lege ἐκχυμώσιος.
Pag. 135. lin. 4. lege affirmat pro negat.
Pag. 151. lin. 16. lege influxus.

Cætera per teipſum benigne lector facilè corriges.

APPRO-

APPROBATIO.

Vidi autographa litterarum huic Paræneſi præfixarum, ex quibus pate.. quid de Authore, & Opere Clariſsimi medici Treuiſius, & Fienus ſenſerint. Quod.. cenſoris eſt, teſtor in eâ nihil contineri quod bonis moribus contrarium ſit, aut quod ſaluâ fide Orthodoxâ ſuſtineri non poſsit. Actum Audomaropoli die vigeſimâ quint.. Aprilis 1635.

ANTONIVS DE LA DIENE'.. Eccleſiæ Cathedralis Canoni.. cus, Sedis Vacantis Vicariu.. Generalis.

QVÆSTIO MEDICA.

De venæ sectione in pleuritide.

Quæstionis Titulus & explicatio.

CVm plusquam sexcẽtis annis reuellẽdi causa in pleuritide, tam Græci, Latini, quam Arabes oppositam basilicam ante directã secuissent, Anno circiter 1625. Matheus Curtius Papiensis professor, nouam opinionem primus vulgare ausus est, & in pleuritide spreta opposita sectione venam è directo lateris affecti continuò secandam asseruit, *Coment. in Mundini anat.* absolutè enuntians citra vllam distinctionem. Hunc confestim sequutus est, Brissotus Parisiensis, quem Fernelius & alij Galli, adfuit & Fuccius Germanus, qui suppresso Curtij nomine, se huius sententiæ principem gloriatur, titulo doctrinæ nouæ & paradoxæ, suorum paradoxorum l. 2. cap. 4. *Contra Arabum* inquit *& recentiorum ferè omnium sententiam*, Huius ergo paradoxæ sententiæ causa orthodoxam sententiam reuocans, sic quæro.

sus malos successos, credo ipsum hac opinione, quod notauit Scaliger, iugulasse quam plurimos.

Amatus Lusitanus & Hieronymus Mercurialis, Sclanus Medicus Neapolitanus Amato cōsentit, in Anastomoses apicales ita intenti, vt existiment illas à natura factas, vt qui in pleuram fluxerit sanguis nimius, per eas euacuari possit azigon: anastomosi originali valuulas applicantes cum Hollerio, quarum ministerio refluere non possit, quas irridet Fallopius & alij de quibus postea.

Alexander Massaria directam secat tum reuulsionis tum deriuationis gratia, quod putet reuellendum simul & deriuandum, cum opposita sectio inquit duntaxat, reuellit.

L. 1. c. 26. de mor. inter. Hollerius directam etiam secat propter anastomoses & criticas directiones.

Ludouicus Mercatus etiam directam in criticas euacuationes intentus, huic consentit Ioubertus in paradoxis.

Ioannes Fernelius inter Gallos coryphæus th. 2. c. 5. post Brissotum fibrarum rectitudinem cōmentus est & criticas euacuationes pro regula habuit, anastomoses non meminit, dextras partes sinistris cum

Argem

Argenterio non esse contrarias asseruit, quem sequuti sunt penè omnes Galli: Achacias, Riolanus, Duretus, Ioubertus, Laurentius, Valeriola, Hollerius. Sectionē saphenarum approbat vnus quod sciam Giacinus quem modo sequitur Gardinus oppositam damnans.

Pro opposita sectione sunt sequentes.

STATIO 2.

EX Græcis principes sunt Ætius, qui postquam lib. 3. de re medica cap. 12. ex mente Galeni docuit fluctione sedata directam secandam in fine capitis sic ait. *Oportet autem in omnium inflāmationum principijs ab opposita parte sanguinē mittere*, quod ex sententia Archigenis confirmat serm. tetra. 8. cap 68, sic *In his vero qui acuto morbo vt diximus infestantur siquidem circa mammas & clauiculas hæreat dolor, venam incidere oportet in brachio, non eo quod recta ab inflammato procedit latere, sed opposito.*

Areteus Curat. acut. lib. 1. Cap. x. *In pleuriticis* inquit *eadem potissimum die vena incidenda est, quin & vno die intermisso ra-*

 tione

tione crapul. sanguinem à vena mitto, quæ in cubito est, non eius quæ secundum rectum incessum inflãmatis costis opponitur, maximè enim procul abducere præstat.

Aurelianus Græcorum acutissimus censor lib. 2. acut. cap 18. *Adhibenda* inquit *phlebotomia, sed ex alio brachio quod fuerit dolenti lateri contrarium, certæ rationis causa quam sæpe m. morauimus.*

Paulus lib 6. cap. 4. *In partibus recenter inflãmatis ex oppositis partibus vacuationem facere oportet*, hos principes sequuti sunt Arabes inter quos

Serapion tract. 2. cap 21. cum dolor ascendit in clauiculas oppositi lateris venam secat primum, confirmata verò in statu materia nec amplius fluente eiusdem lateris basilicam.

Rhasis lib diuis. cap 54. scribit pleuriticis secandam esse venam oppositi lateris & sequẽti die ex latere doloris ad Almans. cap. 57. lib 9. *Si forte* inquit *vniuersum corpus pletoricum fuerit, tunc ex latere opposito sanguinis detractio celebratur, porrò si ad aliquot dies adfluxerit, fluxusque constiterit, sanguis missus ex latere affecto remedio est.*

Anenzoar lib. 15. cap. 3. *Curatio* inquit

huius

huius ægritudinis est phlebotomare ægrotum ex basilica brachij oppositi: etsi quibusdam nouis medicis nostri temporis minuendum videtur ex eadem parte ægritudinis, adductis ad eam rem logicis & sophisticis quibusdam rationibus, id mihi nullatenus videtur verum, certissimumque existimo ita facere, ægrotum esse ad mortem præcipitare.

Mesue lib. de morb. inter summa 7. cap. de pleu. docet quod *Si materia fuerit dilatata ascendens vsquè ad furculas & nondum extoto repserit, sed adhuc est vt repat phlebotometur basilica lateris oppositi.*

Halliabbas lib. 6. pract. cap. 13. *sic opus nos in huius passionis dominio, in principijs si dolor ad furculas ascenderit phlebotomo vti manus lateri opposita passionis, quo passionis materia in contrariam distrahatur partem, ad quam superfluitas cœpit declinare & si passio diuturnior sit, & materia iam corroborata est, tunc in latere passionis phlebotomo vtare.* Hunc sequitur ex neotericis Herculanus.

Isaac pract. lib. 6. cap. 11. *Oportet initio si dolor furculas salierit basilicam per antispasim phlebotomari, vt materia ad oppositum diuertatur, si verò materia* quiescat *phlebotomari secundum infirmum locum.*

Alsarauius pract. lib. 12. cap. vlt. Si flu-

xio sit à sanguine, oppositam secat in morbi initio, ægritudine firmata directam.

Arabum princeps Auicennas lib. 3 fen. 10 tract. 5 cap. 10. inquit *Ex rebus cõmunibus est phlebotomia, sed in principio ex latere diuerso, etsi sit iuuamentum minus & tardius.* Cap. 20 *Oportet prohibeas materiam venientem ad apostema cum euacuatione & attractione in contrarium*, & hic cap. 10. primò saphenam quandoque tundit, mox ad basilicam oppositam, quam tanti facit vt ea non comparente, quamlibet secet antequam ad directam procedat.

Hi omnes Arabes ante directam oppositam secuerunt, & siquidam saphenas ante oppositam aliquando secuerint; qui 700. annis in Hispania & Mauritania summo cum honore medicinam excoluere Latinis & Græcis interpolim, quos sequutus est.

Auerroes vij coll. qui in partium superiorum phlegmone semper oppositam secari iubet vbi auertendum est Hos etiam sequuti sunt Italiæ nobilissimi professores.

Arnoldus Villanouanus aph. 10 cap. 7. reg. de venæ sectione inquiens *Phlebotomandus est æger per venas longinquiores vnius diam. tri, vel multarum si corpus ple-*

thoricum fuerit, tempus autem fluxionis diatrito metitur, infra quod rarissimè fluxus cessat & plethora frequenter occurrit & postea lib. 4. th. 5. *si materia est in fluxu fiat ipsa vacuatio per partem oppositam*.

Gentilis de Fulgineo & Benedictus Veronensis, Bartholomeus Mõtagnana cum Gradio & Gvaniero, Gattinaria, partim Auicennam partim Mesuem sequuntur sicut & Vidus Vidius Florentinus.

Valesius Tarentinus oppositam basilicam secat initio morbi, antecedentem reuellens & euacuans materiam, post tertium directam.

Conciliator drĩa 112. corpore plethorico & materia fluente, ad oppositam se confert, fluxu pacato ad directam.

Benedictus Victorius Fauentinus docens anno 1534. in gymnasio Bononiensi edito scripto professus est ex Hipp. & Galeni doctrina materia fluẽte ad partem affectam, ex opposito latere, non ex eodem sanguinem esse mittendum.

Andreas Thurinus oppositam secat cum Brachelio edito opusculo, sicut patet ex paradoxo Fuccij 4. lib. 2. quibus accessit Manardus, qui epistola ad Pharrasium affirmat dari occasiones oppositæ secandæ,

sicut

ſicut etiam ſaphenæ ob hæmorrhoides & menſes ſuppreſſos, Sunt & huius ſententiæ non ignobiles Galli.

Ioannes Tornamira Montipeſſ profeſſ. cap. 57. clarificatorij ſuper caput 5 Rhaſis & 9. ad Almanſ. inquit. *In primis diebus igitur fiat phlebotomia de baſilica partis contrariæ, quia vt plurimum fit complectoria venarum, propter quam ſequitur materia ab ipſis venis ad dictas pelliculas, ideo debet fieri de oppoſita ſi poſsibile eſt, ſine complectoria de eadem parte, verum tutius eſt ſemper facere de oppoſita in principio morbi.*

Gordonius itidem Montipeſſ. profeſſ. Lill. parte 3. cap. 9. vetat fieri directam ſectionem ante oppoſitam. *Duæ baſilicæ* inquit *æqualiter hauriunt ex puteo* (I. Laçuna ſeu vena caua) *& ideo æquales ſunt quantum ad hoc de phlebotomia de quacunque parte fuerit, quia æqualis eſt diſtantia. Sed aliud eſt* inquit, *quoniam venæ capillares quæ nutriunt coſtas ſuperiores habent colligantiam cum venis capillaribus quæ procedunt à baſilica, & ita ſi fieret phlebotomia in principio corpore pleno de eodem latere, fieret tractus ad locum per venas capillares & ita faceret ad augmentum.*

Cappiuaccius recentior cum Trincauellicc

pellio Auicennam sequuntur, saphenam duntaxat tundentes, vbi fomes fluxionis in inferis delitescit, mensibus aut hæmorrhoidibus suppressis aut mariscis.

Alias oppositam & post directam, quod Faciunt etiam Herculanus, Iacobus Weckerus ipse etiam Mercurialis, saphenam tundunt ob dictos casus, alias non; Eodem ferè tempore ab Altomari profeſſ Neapol. The. l. 5. c. 5. *Toto* inquit *errant cælo, qui iaxta Gal. doctrinam volunt perpetuò pro cura pleuritidis eiusdem lateris venam incidendam esse.*

Et modo superstes Iul Guastauinius in Pisano Gymnasio sic docet in Contro. Med Select *Missus sanguis ex opposito latere, pleuritico detrimento esse, nec alteri lateri inflammationem adferre potest, & siue ad dextrum, siue ad læuum inclinet sanguis oppositam partem secabimus, contrarium motum opponentes.*

Agmen claudat doctissimus omnium iudicio Sennertus, Wittenbergæ nunc docens inst. lib. 5. parte 2. sect. 1. Cap. 18. *Si artis opera artificiosam medicationem spectemus, magna reuulsionis ex latere opposito est vtilitas.*

Quid pluribus authoritatibus lectorem fati-

fatigo? Celſus, rationibus directæ ſectionem videtur docuiſſe, at contrarium in praxi agens, fatetur experientiam contrarium approbaſſe. Cap. 10. lib. 2.

Doleo me Galfridi Condiacei apologiam, non potuiſſe reperire, quam pro oppoſita ſectione contra Giacinum & academiam Florentinam vulgauit, teſte Poſſeuinio bibliothecæ ſelectæ. lib. 14.

Ex quibus patere arbitror, omnes ſupra citatos authores, ante directæ ſectionem oppoſitam approbaſſe, exceptis Gardino & Giacino, qui in oppoſitæ locum ſaphenam ſubſtituunt.

Opinio igitur noſtra à Gardino & Giacino & Arabibus quibuſdam diſſidet quod ſaphenas ſpernat, A Gallis qui directam perpetuò ſecant, conuenit cum Arabibus qui omnes ante directæ ſectionem oppoſitam tundunt, & cum Gallis quod ſaphenarum ſectiones improbent.

Atque huiuſce ſententiæ noſtræ Hippocrates & Galenus, ſolidiſſima poſuere fundamenta, quod manifeſtum fiet ipſorum aphoriſmis; pro quibus ſit.

ARTI

ARTICVLVS SECVNDVS.

Perioche, seu aphorismi ex Hipp. & Galeno.

I.

ENitendum est autem vt venæ sectiones quam longissimè fiant, à locis vbi dolores fieri & sanguis colligi solet. *Hipp. lib. nat. hum. & de oss.*

II.

Deriuatio ad latera & vicina, quo maximè fluit, Reuulsio ab ijs quæ supra sunt ad partes inferiores, & ab his ad illas. *Hipp. lib. de hum.*

III.

Cedentem reuellere statim, renitenti cedere (id est) impacto prout explicat Gal. lib. 4. th. cap. 6 si fluxio iam cessauit & in membro impactus sanguis sit, deriuare per vicina expedit. *Epid. 6.*

IV.

Fluentium humorum reuulsio, eorum qui iam membrum occupant deriuatio medela est. *Gal. ad Glauc. 2. cap. 7.*

V.

Gal. l. 5. Ther. cap. 3.

Auertitur sanguis, & ad alia membra conuertitur, tum ad proxima deriuatus, tum ad contraria reuulsus.

V I.

Gal Th. 4. cap. 6.

Hippocrates iubet nos auertere ad contraria, deriuare ad latera.

V I I.

Gal. Th. lib. 4. cap. 3.

Ac si perpetuum est, incipientem fluxionem ad contrarium trahi oportere, fixam verò iam in laborante particula vacuandã, vel in ipsa particula quæ afficitur, vel à maximè vicina, in promptu nobis est, de sanguinis missione colligere, quod in principio è longinqua, postea ex partibus exulceratis sit molienda.

V I I I.

Th. lib. 13. cap. 6.

Præceptum in contrarium reuulsionis in omnibus commune est.

I X.

Th. lib. 13. c. 19.

Omne sanguinis profluuium ad contrarium per cõmunes vias auertimus; in vniuersum ad communia membris patientibus in aduersum trahere oportet, aut ad eadem à quibus est fluxionis origo.

X.

Lib. 1. ad Glau. c. 2.

Semper enim fluxionis impetum ad cõtrarium trahere expedit.

X I.

Siquidem longè à tentata fluxione par-|e quod redundat retrahere, nequaquam |d eam attrahere expedit. Lib. 13. th. c. 11.

X I I.

Membris quæ laborare iam incipiunt |ucurbitula non est apponenda, sed ijs |uæ cōtinuatæ his sunt, reuulsionis gratia. Th. l. 13. c. 19.

X I I I.

Reuellendus igitur & vacuandus simul |ui ad iecur fluit sanguis, interna in bra-|hio secta dextra vena. Lib. 13. th. c. 18.

X I V.

Vt summatim dicam incipientes phleg-|nonas ἀντισπαστικῶς oportet vacuare, inue-|eratos ex ipsis si fieri potest partibus. De C. rat. p. vena. s. C. 19.

X V.

Si in manibus phlegmone orta est, cru-|a, sin in cruribus, manus. Gal. l. 13. th. c. 13.

X V I.

Altero crurum dolente scarificabis al-|erum. Gal. th. 13. c. 8.

X V I I.

In Angina primas in manibus, secun-|as eas quæ sub lingua sunt. Lib. th. 13. c. 18.

X V I I I.

At ijs quæ in occipitio sunt afflictis, etiā |em quæ in cubito est, nec non eam quæ habe- Ibid.

habetur in fronte.

XIX.

Hipp. aph. 67. l. 5. Dolenti posteriorem partem capitis vena secta in fronte iuuat.

XX.

Gal. ad Claud. li 2. c. 2. In locis muliebribus in contrarium trahes si in cubito venam secueris, deriuabis si eas quæ in cruribus sunt, aut tali venam diuiseris.

XXI.

Gal. de Curand. R per. V. Sect. c. 3. Quæ fiunt ex cruribus vacuationes, non solum reuellunt, sed etiam menses prolliciunt.

XXII.

Ibid. c. 11. Gal. lib. 13. c. 6. Cæterum non contemnenda venæ sectio tanquam non sit auxilium reuulsorium, cum me sæpè conspexistis in valido sanguinis ex naribus eruptione eo vsum repentè fluxionem sedasse secta in cubito vena.

XXIII.

τοὺς ῥόους παύειν χρὴ πρῶτον ἔπειτα τὸ συῤῥέον ἐξάγειν. Quicumque morbi à fluxionibus fiunt, fluxiones primo pacare oportet, postea quod influxum est euocare.

XXIV.

Gal. l de Reuulſ. Atquè vt summa rem complectar, in reuulsio efficitur; in humoribus videlicet partes superiores petentibus, ad inferiores & contra, similiter in anteriorem & po-

steri-

ſteriorem, præterea à dextris ad ſiniſtras, ſicut ab his rurſus ad illas. *& th. 5. cap. 3.*

Ex his aſſertionibus & theorematibus naſcuntur ſequentes canones.

CANON I.

Reuulſio non eſt nomen inane, cum de ea Hipp. & Galenus adeò præcisè loquantur, eamquè auerſionis eſſe ſpeciem, cum collaterali ſibi deriuatione ſtatuendum. Canonis veritas reſultat ex aph. 4. 5. 6.

CANON II.

Reuulſio duplex eſt, vna localis, quæ contrarietatem in membro affecto conſiderat, ſicut in aphoriſmo 19. hæc reuulſionis nomen vix meretur, illa enim à perito medico non adminiſtratur, niſi prius toto reuulſione vacuato, ne plus ad partem attrahatur, quam vacuetur docente Galeno, vnde cum in principio damnoſa ſit eiuſmodi reuulſio, de ea non agimus. *Ad aph. 67. 5. 7. & 6. exid. com. 2. & de C. RS. per V. cap. 19.*

Alia eſt vniuerſalis, de qua diſputamus, quæ contrarietatem obſeruat reſpectu totius corporis, tales reuulſiones in morborum principijs, laudantur pleno & non pleno corpore, tam ſecundum longitudinem, quam latitudinem, fundatur canon in veritate aph. 1. 2. 7. 9. 11. 15. 16. 17. 24.

CANON. III.

Reuulsionis nomine Galenus pluribus locis abusus est, quod patet ex aph. 12. 13. 21 quippe in 12. deriuatio est per proximam per aph. 2. & 7. In 13. est mixta, & à parte ipsa euacuatio, non reuulsio. In 21. reuulsio ibi est propriè deriuatio per aph. vigesimi particulam secundam.

CANON. IV.

Reuulsioni vniuersali propriè dictæ cõpetit vt ad distantia loca fiat à parte affecta, ita vt excludat omnem sectionem proximam; fundatur Canonis veritas in aph. 1. 2. 7. 11. 15. 20. 17. 16.

Per hunc canonem sectio basilicæ dextræ in pleuritide dextra, non potest esse reuulsio, quia non potest fieri proximior ad deriuationem.

CANON. V.

Reuulsioni proprium est vt ad contraria siue opposita loca fiat per lineam rectam, transuersam & obliquam, firmatur canon aph. 2. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 14. 15. 16. 20. 24.

CANON. VI.

Reuulsio non solum partem affectam considerat, sed etiam simul mittentem vt à fluxionis fonte vacuet: patet huius canonis veritas ex aph. 9. 22. 11.

CA-

CANON. VII.

De natura reuulsionis non est, vt à parte affecta influxam materiam euacuet, sed sufficit vt fluxurum & fluentem vacuet: fundatur in aph. 4. 7. 11. 23.

CANON. VIII.

Reuulsioni maximè proprium est, vt in principio morbi fiat, dum humores fluere incipiunt & quamdiu fluunt: per aph. 3. 4. 7. 10. 14. 23.

CANON. IX.

De natura reuulsionis est, vt fiat ante deriuationem, per aph. 23. Hoc canone vacuatio mixta ex reuulsione & deriuatione non est reuulsio.

CANON. X.

Deriuationi proprium est, vt ad latera & vicina fiat, & proxima directa, & ita proximam sectionem connotat, vt excludat omnem remotam: Canonis veritas elicitur ex aph. 2. 5. 6. 7. 14. 17. 20. 21.

CANON. XI.

Deriuationi competit, vt fiat fluxione sedata & fluxili existente materia per aph. 3. 4. 7. 14. 23. Hoc canone deriuatio non conuenit in principio materia fluente & fluxura.

ARTICVLVS TERTIVS.

Oppositæ sectionis Idea.

Lib. acut. VEnarum superiorum sectionem in pleuritide nos edocuit Hippocrates, enimuerò incipiente ea atque etiam vrgente sanguinem in partibus superioribus æstuare testatur etiam Galenus contra Erasistratum, & natura per hæmorragias, sputa cruenta, solet pleuritidis redundantem materiam salubriter euacuare, etiam in principio: At quod opposita dolēti lateri vena secanda sit, docet Hipp. ἀντισπᾶν si quo non oportet vergat, & quidem in contrarium cedentem retrahere statim in principio, quam doctrinam sequitur Gal. inquiens fluentium humorum ἀντίσπασις quia nos auertere oportet quod influit ad cōtraria reuellētes vnde est fluxionis origo, nempe pars affecta est imbecillior, sicut & tota ea corporis pars è directò, quæ graui illo affectu laborat, quam ob causam, cogimur sanguinem mittere ex membris quæ læsa non sunt. Cum autem docēte Galeno fluxio sit pleuritidis causa, & in morbis à fluxione, primum eam pacare

Epid. 6. sent. 29. sent. 3. ep. 2. ad Glauc. l. 1. c. 7. de per V. S.

Gal. th. l. 13. c. 5. ad Glauc. lib. 2. c. 2.

care & ſiſtere oporteat, antequam influxum vacues oppoſitæ baſilicæ ſectio in pleuritide tam diu expediet, quamdiu fluxionis metus ſublatus ſit, maximè verò in principio toto, eoque magis ſi plenum corpus fuerit, quinimò & abſente plethora quippe docet Gal. *dolorem & calorem membri in quo phlegmone ſedet, etiamſi ab excrementis totum corpus fuerit vacuum, fluxiones accerſere, porrò dolor ſanguinem ad ſe trahit citra plenitudinem*, quo Galeni dogmate docemur non eſſe verum quod decernit Gardinus. *Aph. 23. per Can. 9.* *Th. lib. 13. cap. 5.* *De C. R. per V. S. cap. 8.* *In apol. decreto.*

Si citra plethoram vniuerſalem oppoſiti lateris venam ſecueris, plurimū nocueris, ſicut & illa Clariſſimi D. Remigij cōcluſio hallucinatur, *Euacuatio in pleuritide ex aduerſo dūtaxat bona eſt, cum magna eſt plenitudo.* *Concluſ. 3. def. lo. Babtiſta doulcet 1633. Sep. 3. Duaci.*

Fluxionis igitur ſedatio prima eſt & potiſſima reuulſionis indicatio, cum autem pleuriticæ fluxionis fons, ſit in lacunæ parte ſuperiore docente eodem Gal. *redundantia in his partibus quæ poſt hepar ſunt, ſi qua erit circa pulmonem erit*, & fluxionis directio ſit à parte potente in debilem ſe exonerante, conſentaneè rationi euacuabit, qui ſpretis ſaphenis oppoſitam ſecabit, & citra proritandæ fluxionis pericu- *Per aph. 23. articuli. 3.* *Lib. 2. nat. fac. cap. 1.*

 lum

Per aph. 11. Artic. 3. lum reuellet, nempè ex Gal. doctrinâ, longissimè à parte quæ fluxione tentari incipit, sic vt iuuare possit, quia & à fluxionis fonte quam proximè euacuabit & ab anastomosi azygotæ, per quam vt plurimũ fit fluxio, sanguinem reuocabit & eum qui per directam subclauiam in prognatas à se fluxisset propagines, in lacunæ biuio intercipiet & in oppositam subclauiam deducet vacui & continui necessitate, & bene omnia faciet, Cui doctrinæ accedit Sennertus. *Reuulsio* inquit *cum respiciat humores, non illos qui in affecta sunt parte, sed illabentes, magisquè partem mittentem quam recipiẽtem; omni reuulsioni hoc commune est, vt humori fluenti contrarium motum concilìet, ipsumquè ad partem nõ in quam vergit, sed in cõtrariam moueat, & ita vt ad partem affectam amplius non fluat, efficiat. Ex quo sequitur ad proxima reuulsionem fieri non debere; si enim ad proxima fieret periculum immineret ne à toto pleno ea irritatione & occasione, ad affectam partem maior fluxio concitaretur: Sed potius vt vera fiat reuulsio & contrarius motus humori fluenti concilietur, ea quæ magnam & notatu dignam ab affecto loco habent distantiam, & à membro laborante remotæ sunt, eiquè oppositæ partes eligendæ sunt.*

Per Canon. 6.

Inst. lib. 5. c. 18.

Ergo

Ergo in pleuritidis principio, quamdiu fluxio vrget, siue plethora adsit, siue non, opposita basilica tuto secari potest, quia reuulsio coniunctam morbi materiam euacuare pro scopo non habet, sed antecedētem duntaxat euacuare contendit: quod clarè sic iterum edocet Sennertus: *Si humores aliqui iam actu ad partem aliquam fluunt, metusquè sit ne & reliqui eodem motu concitati in eundem locum ruant, præcauendum est, & hos & illos à parte in quam fluunt, vel fluxuri sunt, longissimè auocando: Reuelluntur enim humores non qui in affecta sunt parte (hi enim propriè ex parte affecta aut vicina euacuantur) sed ij qui ad partem aliquam fluunt, aut fluxuri sunt, qua ratione cauetur & prohibetur ne pars affecta humoribus affluentibus repleatur.* Et qui sic operantur non timent ne putris humor reuocetur & puro sanguini permisceatur, quia si à parte affecta retrahitur, cum puro foras euacuabitur, atquè sic vacuata influente materia ad directam sectionem tutò confugere datur, vt proximè secantes afflictas etiam partes quo iam premuntur onere, subleuemus. Inst. lib 5. C. 18

Quibus peractis si nec cesserit malum, cucurbitulas etiam parti affectæ affigere

consultum videtur, profundis scalpello iniectis scissionibus. Scio Aræteum post septimum id agere, Æginetam decimum quartum expectare, verum in his dierum numerus præfigi nequit, quod pleuritides aliæ alijs sunt acutiores. Ego D. Carolo de Miraumont Celeber. Monasterij Sancti Bertini in Sithiu Religioso Archarum Præposito, à sexta in brachijs sectione, vacuatis ferè quinquaginta sanguinis vncijs, exacerbato subinde malo, post septimum fœlici successu applicui, pluribus iniectis profundis & magnis scarificationibus: Quod & in Illustris Domini Vice-Cõ. de Lieres huius Ciuitatis Gubernatoris, Rhædario perseuerante malo post reiteratas sexcùm sectiones, subinde sopito & resuscitato, facere coactus sum, euacuata fœliciter reliqua materia.

Lib. cap.

Alij sunt qui omnibus ex arte factis contumaci perseuerante dolore, humore ob malignitatem, concoctionem non patiente, thoracem perforari consulunt (sicut Fontanus, vt materia coniuncta sectione vacuetur. Tentatis, inquit Hollerius, omnibus remedijs, siquidem desperatio est & vires tolerare possunt, cauterium actuale aut potentiale lateri inferendum.

Exercit. de pleur.

Lib. 1. th. cap. 26.

Reue-

Reuera id multoties fieri poſſet, niſi remedium vt nouum, & ignorantibus crudele & dubium, calumniæ medicum exponeret, quippe vt poſtea dicetur, cum non omnis pleuritis ſit apoſtema cum collectione, ſed phlogoſis quædam eriſipelati affinis, aut anthracino tumori ſimillima, ob humoris prauitatem & ferociam, fit profectò ſæpè, quod acutiſſimi dolores à pauca fiant materia, vnde continget, quod perforato thorace è regione doloris, nil omnino effluet, nec dolorem ſedari continget cum medici infamia, licet omnia ex arte facta ſint.

Sic tamen affecti ex eo dignoſci poſſunt, quod in latus ægrum non melius iaceant, vt ij quibus magna adeſt collectio, nec in ſano melius habent, pulmone ad ſe pleuram trahente, quæ ſicca inflammatione afflicta nullam patitur diſtẽſionem, ſed in dorſum ſupinos omninò illos decũbere neceſſe eſt.

Quod ſi reuera collectiones apoſtematis intra pleuram & coſtas, vbi frequenter fit, vel in meſopleurijs eſſe conijcitur ex pulſatili & grauante dolore, faciliore in latus ægrum decubitu, difficili in ſano, non videtur à ratione alienum omnibus

alijs

alijs remedijs irritis, sectionem illam admittere, maximè verò si tumor aliqualis, vel fluctuatio in conspectum, vel tactui se obtulerint, quibus rectè examinatis vel scalpello iniecto, vel pyrotico thorax perforabitur, & parua cucurbitula ad materiæ euacuationē applicabitur: Cōmodissimè in pleuritide notha quod ait Rhasis, in qua rubor in conspectu se dat & tumor, aut simul per sympathiam, interna & vera facta, talis sectio perficitur.

Scissionis & pyrotici loco, Martinus Rulādus vomitoria interna ruptoria excogitauit, sic cēt. 1. cura. 14. & 81. & cēt. 2. curat. 29. & 52. & centur. 3. curat. 18. in pleuritide sicca, lethali & vehementi: & centur. 4. cura. 11. vomitiuo ruptorio ex aquæ benedictæ vncia vna exhibito, rupto abscessu ægri purulēta, saniosa, & varia spuerunt & sanati sunt.

Ego, vt dicam quod verè sentio, tales ex aqua illa benedicta curas à medico solerte fieri posse existimo, cum enim illa aqua ex mercurij emetici infusione fiat, aut regulo croci metallorum, aut turpeto minerali & similibus emeticis validioribus, accidit quod diaphragmatis validiori contentione & pleuræ consensu, collectio soluatur.

ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS.

Ideæ Præcedentis fundamenta & Conclusiones.

QVi in pleuritide directam perpetuò secandam docent in praxi, nec secum, nec inter se conuenerunt. Valesius in renis inflammatione, ad reuulsionem perpetuò saphenam tundit: Fernelius cõtra in cubito, Fuccius in vteri inflãmatione stat cum Valesio ex Galeni nõ satis intellecta doctrina. Fernelius cõtra. Hic humero affecto, secat in cubito directo, eo affecto, in manu directa, Celsus contra ex opposito: at oppositam secantes perpetuò sibi consentiunt. Missis itaquè directè secantium inconstantijs, videndum, numquid possit certum de venæ sectione reuulsiua demonstrari, quod vt assequamur, *Cap. 7. lib. 2. 1p.* *Lib. 2. c. 10.*

Primò determinandum est quid sit reuulsio. Secundò quid sit pleuritis: tum eius differentiæ & morbi tempora distinguenda, vt quo tempore reuulsio maximè conueniat & quo non determinetur.

Igitur vacuatio per venæ sectionẽ ex do-

Lib. 1 th. cap. 9. ctrina Galeni triplex est. Vna absoluta vocata, altera quæ reuulsio dicitur, alia deriuatio. Euacuatio simplex vt genus, est sanguinis, qui citra motũ vllũ peccat, sine vllo ad has vel illas partes respectu euacuatio. Deriuatio, est eorum quæ partem aliquam obsident, nondum tamen impactorum, sed adhuc fluxilium, euacuatio.

Reuulsio est eorũ quæ ex quauis sede, in partẽ aliquã ferũtur & influunt, vel etiam in fluxura sunt, per contrariam partem ad quam feruntur, retractio & euacuatio.

Pleuritis verò propriè, est membranæ costas succingẽtis inflammatio, sicut placuit senioribus medicis, Apollonio, Diocli, Erasistrato, Asclepiadi apud Cœlium, Acut. lib. 2. cap. 16 ad Glauc. 2. cap. 1. definitur sic à Galeno πλευρῖτις δ' ἐστιν ἡ τῆς τὰς πλευρὰς ὑπεζωκότος ὑμένος φλεγμονή. siue per consẽsum, siue primariò laboret. Hanc similiter definierunt alij principes græci, Ætius. Cap. 6. tetrab. serm 8. Alexander Cap 1. lib. 6. Paulus Cap. 33. lib. 3. Oribasius synopsis lib. 9. Cap. 7. Aræteus sic Lib. 1. de signis acut. cap. 10. descripsit plenissimè. *In hac cum phlegmone suborta fuerit, ignis adest cum tussi & sputis varijs, dolor acutus ad iugula ascendens, decubitus in latus inflammatum facilis est, in sua enim ipsius sede collocatur, in*

oppo-

opsitam verò partem decubitus dolorem concitat à pondere & phlegmone & suspensione, in omnes membranæ continuas partes ad humeros vsquè & iugula, quibusdam verò & in terga & in dorsi scapulas dolor protenditur, nempè quia tenuis membrana robusta ossibus inhærens, cui nomen succingens inditum est, sub costis, dorso, & internis pectoris, ad inguinula vsquè substrata est: perfecta sanè pleuritidis legitimæ descriptio. Nunc ad differentias.

Pleura primariò affectu laborante Galeno exquisita dicta est, & primaria, quam citra apostema posse consistere cōtra Garlinum notauimus cum Dioclo, Praxagora & alijs apud Celium: rationem reddente Galeno, *Apostema* inquit *partium est dispositio, in quibus inuicem distant quæ prius se contingebant corpora, spatium igitur in medio vacuum fieri oportet, quod substantiam spirituosam, aut humidam, aut mixtam ex vtrisquè comprehendat*. At pleura cum simplex sit membrana & tenuissima, illam vnitatis solutionem & diuisionem non admittit, quæ cogitans Ioubertus inquit, *Costas succingens membrana, tenuissima cum sit, multum simul humorem coaceruare & continere ad phlegmonis generationem non potest,*

Lib. 1. de loc. aff.

Lib. 2. acut. cap. 16. lib. 2. ad Glauc. cap. 7.

Li. de aff. inter tho. cap. de pleur.

test, & vix erisipelati sustinendo sufficit, vnde succingēti membranæ non ausim phlegmonē attribuere, sed phlogosim potius: quam Galenus à phlegmone distinxit, quod explicat Heurnius addens, *Pleuritico affectu mortuis, experientia per sensum ad oculum demonstrauit aperto thorace non semper collectionem apparuisse, nam in primaria pleuritide acerbè dolent à mole non magna,* in hac dolor non est pulsans, sed tensiuus & punctorius, & difficultas magna spirandi.

2. *Ad Glauc. c. 2. path 5. c. 11.*

Enimuerò in quibusdā pleuritide mortuis, pleura valde tumefacta comperta est, & substratæ illi costæ nigræ (vt fulmine ictis) apparuere, non aliter quam si quis tenuissimam aliquam membranam humidam igni exponeret, aut aquæ calidæ immergeret, facilè illam tumere efficiet, quod, *se gonfler*, dicunt Galli ab Italo *Gonfiarsi* & hi à Græco ὀγκώδης γίνεσθαι ex qua animaduersione fortè accidit, quod quidam neoterici, pleuram peritoneo crassiorem dicerent. Numquid igitur pleuritis est apostema? sanè frequenter, cum inter pleuram & musculos, aut costas, aut inter musculos ipsos fit collectio, in ipsa enim musculorum carne collectionem etiam fieri posse asserit apud Celium Appollonius

nius, ſicut & Hollerius, pleuritim veram à loco triplicem faciens, vel enim fit, ait ille, in ſuccingente coſtas, vel perioſtio, aut in muſculis intercoſtalibus, notha in muſculis externis. Cap. 13. li. 2. acut.

Docemur igitur à Galeno pleuritidem vnam eſſe exquiſitam (de qua ſupra) vel primariam & periculoſiſſimam vt plurimum, aliam per cõſenſum, diſtinguit præterea in internam & externam, quam poſſe in internam tranſmutari aſſerit, quod thoracicæ externe apices ad interiora etiã terminentur, tum quod doloris ratione ab internis partibus & venis fluxio facilè prouitatur. Internas pleuritides veras vocat Fernelius, externam notham, qui internam ex ſitu duplicem facit, eam quæ ad clauiculas dolorem exhibet, totum thoracem occupans, alterã quæ ad hipochondria, quas per azygotam fieri contendit. Lib. 5. path. cap. 11.

Laurentius ex quatuor venis per quas pleuritidem fieri putat, quatuor pleuritidum facit differentias, ſicut & Duretus, primam per intercoſtalem, ſecundam per azygotam, tertiam per mamillarem, quartam per thoraciam; ita intercoſtalis tres aut quatuor ad ſummum coſtas ſuperiores vrgebit, mamillaris ſternum & mediaſtinum Coment. in Coa. c. de pleur.

num, azygota octo inferiores, thoracicam faciet externam & dorſalem.

Path. lib. 5. cap. 11. Heurnius cum Laurentio conuenit, ſed pestilẽtem addit, hæc inquit in diaphragmatis regione, à ſanguine prauo & putrido ſita eſt, naſci interdum ſolet per febres peſtiferas, dum malignitate humoris concitata materia, nullo conſiſtere loco poteſt, tandemquè per phreneticos ramos, in diaphragma eliditur, diaphragma verò vexatum, ilico pleuram in conſenſum trahit, nam ſobole eius, ſuperficies diaphragmatis, qua thoracem reſpicit, tegitur.

Comment. 31. in Mund. anat. Matheus Curtius cum Auicenna 10. tertij tract. 4. c. de pleurit facit mediaſtinam (quam acutiſſimam cenſet) per diaphratontes ab azygota enatas, non per mamillarem, vt ſupra Laurentius.

Diſtinguitur præterea pleuritis in primariam & eam quæ alteri morbo ſuccedit, vel per metaſtaſim vel apodoſim: ſic ab angina in pleuram fit conuerſio.

Lib. 3. f. 10. tract. 4. cap. 1. Diſtinguitur iterum à materia, quod alia ſit ſanguinea, alia bilioſa, quæ docente Auicenna frequens eſt, *quoniam* inquit *membris tunicoſis non penetrat niſi ſubtilis cholericus* (quod potiſſimum de exquiſita pleuritide intelligendum eſſet) *ex melan-*

lancholia autem putrefacta raro, quandoque ex phlegmate putrido : Porrò per aphor. *Qui acidum ructant, rarò pleuritide infestantur*, quales sunt melancholici ; Alia à pestifero humore ; quæ proprijs signis humorum distinguntur, de quibus consulendus Auicennas lib. 3. f. 10. tract. 4. C. 6. & alij.

Distinguitur vltimò, in dextram & sinistram, quòd hæc per experientiam periculosior habeatur, rationem dedêre aliqui cordis viciniam, non satis solidè, cùm in pulmonum medio radicetur, alij partes dextras sinistris fortiores, potior ratio videtur, quod plurimis, quod notauit Vesalius sinistri pulmonum lobi, cum pleura coalescunt, vndè anhelitus difficultas maior consequitur, & talem constitutionem nactis periculosior sit pleuritis necesse est.

Sic enarratis pleuritidis differentijs, dicendum, illam sicut & alios acutos morbos habere tempora quatuor, Principium, augmentum, statum, & declinationem, quibus constitutis, quo morbi tempore reuulsio ad opposita conueniat, quæritur.

Dico primò in pleuritidis declinatione sanguinem nullo modo mittendum, sua-

Therap. 2. C. 3. dente Fernelio, quia inquit: *Si quis hoc tempore venam incidere ausit, non secretos duntaxat humores, sed pariter vtiles eliciet, quodquè grauius est, eos qui naturæ vi secreti fuerint, puro sanguini permiscebit; hinc inquinabit & confundet omnia, naturalemquè molitionem optimam interturbabit.*

Dico 2. in statu vacuationem ad opposita non conuenire docente Fernelio, quod natura coctioni, & separationi tunc intenta, ab opere auocanda non est, *& cum iam manifestæ coctionis signa apparuerint, non amplius venæ sectione opus est*, præsertim si febris sopita sit, attamen si statum partiri licet, in status principio, maximè si febris adhuc adfuerit, sectio è directo deriuans & à parte affecta putrem materiam euacuans conuenire potest, vt natura parte oneris leuata, quod reliquum est, facilius euincat.

Lib. 1. th. C. 13.

Dico 3. in augmento ferè toto, cùm humores sunt adhuc in fluxu venæ sectionem reuulsiuam ad opposita conuenire, siue plethora adsit, siue non, maximè tamen si adfuerit, quoniam tunc febris vehemẽter vrget, & frequentissimè plethora adest, in quo opere plurimùm requiritur medici solertia, vt quantum opus sit reuel-

lendo

lendo vacuet, & confestim ad directam sectionem se conferat.

Dico 4. potissimũ in principio toto, quod quarto concluserunt authorum plurimi, euacuatio ad opposita reuellens instituenda est, siue adsit plethora, siue non, at illâ præsente maiori vacuatione opus est, in primis verò, si pleuritis febrẽ subsequatur.

Hic animaduertendum est, principij non eandem rectè constitui latitudinem, nam vt alij morbi, alijs sunt longiores, sic & eorum tẽpora, sunt enim acuti, peracuti, & acutissimi. Propriè autẽ principium metiri solẽt medici, ex humoris cruditate, an sit verò futurum lõgum, conijciunt ex anni tempore, tempestate, ægroti ætate, temperẽ, excretis, regione, fluxionis motu & celeritate, symptomatum sæuitia & pernicie, sic in Coac. sputum in pleuriticis, si tertio coqui incipiat, breuiat, si post, contrà. Sic & Auicennas docet: Hinc Fernelius th. 2. cap. 13. concludit: *Quod si metu, aut ignauia, alijsquè occasionibus venæ sectio primis diebus administrata non est, quocumque die, etiam vigesimo in ægrum inciderit, si plenitudinis & cruditatis signa permanserint, hoc præsidij genus est adhibendum, modo vires ferant.*

Ex aphꝰ 10. lib. 4. & 22. l. 1.

Lib. 5. tract. 4. f. 10. C. de pleur.

Quæret

Quæret quis, cum tot ſint pleuritidis differentiæ,an præcedētia ſint obſeruanda.

Reſpondeo 1. ſi materiam ſpectemus, in pleuritide à pituita putrida, vix prodeſſe venæ ſectionem, ſicut & à melancholia, potius enim vitam cum ſanguine elicies, quam coniunctam materiam,cum doloris leuamine euacues, & tamen hic ratione adfluxuræ materiæ, poſſet etiam oppoſita ſecari, maximè ſi corpus plethoricum febris vrgeat, porrò ratione motus materiæ Hiſpani & Catellani referente & docente Marſilio Ficino in epid. antidot. cap. 8. etiam in Bubone peſtilenti in axilla ſiniſtra, ſubitò à manu dextra, minuunt ſanguinis vncias ſex, vel quatuor.

Gal. th. 10. l. 14.

Reſp. 2. ſi pleuritidum differentias ex ſitu ſpectemus, in cuiuſvis principio oppoſitam baſilicam tutò ſecari poſſe.

Primò,in ea quæ ſuperior eſt,quæ fit per intercoſtalem tutiſſima erit reuulſio, quia fluentem ad oppoſitam intercoſtalem ſanguinem (quod fatetur Gardinus) in lacunæ biuio intercipiet,quod de mamillari & thoracica æqualiter aſſeritur, quippe qui ab oſtio ſubclauiæ reuellit, quod oppoſita ſectione fit, neceſſariò ab omnibus illius ſubclauiæ propaginibus, quales ſunt

mamil-

mamillaris, & thoracica reuellit, contrà qui reuulſionis cauſa, reſpectu ſtolonum ſubclauiæ directæ. in principio directam ſecant, totam ſanguinis maſſam totius lacunæ & partis oppoſitæ, in ipſam conuertit: quippe quod ſanguis ratione continui & vacui, ad baſilicam attractus ex lacuna, in iſtarum venarum, ſeu ſtolonum ad ſubclauiam patentia oſcula, facilè prono fluxu incurrit, vnde fluxionem & infartum augeri neceſſe eſt & malũ. Et ſanè oſtiolorum iſtorum fabrica, à natura ſic diſpoſita eſt, vt per maiores alueos fluentem ſanguinem commodè excipiant, qui alioquin facilè præterlaberetur, oſtiola illa minora eludens, hinc eſt quod, ſi ab aduerſo ſanguis retrahitur, (quod oppoſita ſectione fit,) facilè ex illis euacuatur, vel ad minimum ab illis auertatur, ſecus autem ſi directa ſectione, inferiori aliquo foramine ſanguis duceretur, quippe potius in illa oſtiola deducitur, trahentibus continuò ad ſe venis minoribus, à maioribus alueis, ſic qui ex fluminibus, aut alueis maioribus per riuos in prata aquas deducere (quod παρολετέυειν eſt) geſtiunt, alueolos ex obliquo ad maiorem aduerſo fluxui adaperiunt, & ſi contra face-

 rent

rent nihil vel minimum aquæ reciperent. In ea tamen quæ per intercostalē fit pleuritide, si non adsit plethora, nec febris vehemens, è directo venæ sectio fieri potest, sed hæc rarò accidit, nec periculosa est.

Secundò, & in ea quæ per azygotam fit pleuritide conuenientissima erit opposita reuulsio, confessum est vtramque basilicam ab eius anastomosi æqualiter distare, per quam fit fluxio, & propterea æqualiter hoc respectu reuellere, cum autem vt plurimùm per eam fiat pleuritis, si Fernelio credimus, & vt plurimum opposita erit secanda, allatis supra rationibus insistentes.

Tertiò, in pleuritide, quæ Hypochōdria occupat, siue inferiori, siue lumbali, siue quoquomodo libeat illam appellare, optimè etiam opposita secabitur, & proderit, nam etsi Hippocrates spreta venæ sectione, quam hic improbare videtur, purgantibus illam adoriatur, Galeno tamen hic adhærere malumus, *vbi* inquit *non solum acutus morbus fuerit, cuiusmodi est pleuritis, verum & cum febre vehementissima, vitanda est omninò purgantis medicamenti administratio, atquè per sectionem venæ vacuandum magis, etiamsi ad Hypochondrium dolor finiatur, quia nullum ex eo quod per venæ sectio-*

De Vict. in acut coment. 2.

sectionem fit, periculum impendet, eo discrimen maximum subeunte, quod per purgationem tentatur. Quia igitur ratione doloris, & febris, periculum eſt, ne affluxus fiat, etiam citra plethoram hic etiam tutiſſimè oppoſitam ſecamus.

Quartò, & in externa quæ per thoracicam fit, cõueniet ſectio ad oppoſita reuellens, ne directa ſectione proritata fluxione, auctis inde doloribus, de externa fiat interior, quod ſæpiſſimè accidiſſe vidimus cum ægri periculo & morte.

Quintò, & in ea, quæ interſepientes membranas occupabit, quam mediaſtinam vocant, cõuenit ἀντίσπασις oppoſita, quoniam ipſis, quâ illæ dorſo continuantur ab azygota ſurculi offeruntur. *Vesal. Fab. hu. l. 3. C. 7.*

Sextò, ſi peſtilens fuerit pleuritis ex praua cœli conſtitutione, quod τὸ θεῖον dixit Hippocrates, venæ ſectio vehementer nocere poſſet, quia tunc ab excellenti quadam & magna putredine ſanguis corruptus eſt, quod notauit Heurnius path. lib. 5. cap. 11. vnde proprijs amuletis & alexiterijs, tam cardiacis, quam ſudorificis profliganda eſt.

Hæ concluſiones vlterius non probantur, quoniam in aduerſæ ſententiæ ar-

gumentorum ſolutione, probationes pro noſtra ſententia proferemus, ſicut & in excurſione ad quærelas cōtraſentientium, & in deſtructione fundamentorum ipſorum, ex quorum euerſione, noſtras demonſtrationes eruemus, pro quibus ſit

ARTICVLVS QVINTVS.

Aduerſæ ſententiæ fundamenta.

ADuerſæ ſententiæ Authores alij, alia cōmēti ſunt fundaméta, quidā ad κατ ἶξιν Hippocratis, tanquam ad ſacram anchoram confugerunt & eam ſuo modo explicarunt, quam quidam per criticas euacuationes, quidam per fibrarum rectitudinem, & ductum regulari voluerunt. At alij, cum iſta vana & infirma viderent, anaſtomoſes prætexuêre & in ſubſidium aduocarunt, & hi ſunt nouiſſimi, quorum primò examinabimus fundamentum, & licet Gardinus his prolatis, glorietur ſe quid nouum, & paucis cognitum docuiſſe, manifeſtum tamen ſit ex Articulo 1. ſect. 2. Gordonium illas, in Lillio ſuo vulgares feciſſe. quin & Galenum de his operoſiſſimè, ſicut poſtea patebit diſputaſſe.

Ergo

Ergò opere prætium videtur, quid ſit anaſtomoſis, & an vnius ſint modi, an plurium, & eorum cauſas finales, ideſt cur ſint diſquirere.

Anaſtomoſis, nihil aliud ſignificat, quam oris aut oſculi hiatum, aut apertionem, laxationem, qua ſignificatione Ariſtoteli de generatione animalium ἀναστομοῦσαι πόροι ſcilicet terminales, aut venarum apicales, ſignificat etiam arctationem, in fauces compreſſionem, vnde placet & illius interpretatio de originalibus lib. de mundo ὠκεανὸς κατὰ στενοπόρους αὐχένας ἀναστομούμενος, oceanus in fauces ſe comprimens, ſic στόμασι νείλου, porrò vt oceanus ex immenſa vaſtitate in fauces, & Nilus in brachia coarctatur, ſic microcoſmi oceanus, lacuna, quam ventrem κοιλὴ veteres dixêre, in binos vtrinquè alueos, degenerat & multiplici ramorum ſerie, microcoſmũ irrigat.

Originalis anaſtomoſis finis, eſt illa ab Hippocrate celebrata totius conſpiratio, per quam venarum vltimi apices cum lacuna, corde, pulmone, hepate ſociantur. *Lib. de alim. & loc.*

Per has originales anaſtomoſes, totius corporis venæ in lacunam per multas coitiones intermedias coeuntes, ab ea ſanguinem attrahunt, ſicut & arte- *Nat. facul. 3. cap. 13.*

riæ

riæ ab aorta, & partibus quibus famulantur, eundem indefeſſo labore ſubminiſtrant.

Quinque ad lacunā præcipuæ ſunt principum venarū anaſtomoſes, quippe parte ſuperiore iuxta iugulum, hinc inde ſubclauiæ duæ ἀνασομοῦνται, parte inferiore iliacæ ſimiliter binæ. At verò, paulò ſupra con azygota ingenti anaſtomoſi dextro lacunæ lateri adaperitur, cuius putealis, ſiue ramus princeps, ſeu lacuna, ad octo inferiores coſtas vtriuſquè lateris, progenies multiplici ſobole diuiſas, diſtribuit, in quibuſdam tamen corporibus è ſiniſtro ſui latere progeniem mittit, quæ tria coſtarum etiam ſuperiorum interualla (intercoſtali munere fungēs) enutrit. Talis eſt azygotæ verus ortus è directò vertebræ tertiæ coſtæ iuxta iugulū & illius dubia propago. Per huius venæ propagines *vt plurimum fi pleuritis* (ſi Fernelio credimus) *ex tenui bilioſoque sāguine, qui ex vena caua cordi aſſudente, in eam quæ azigos nuncupatur, ac deinde in tenues coſtarū venas, impetu quodam incurrit, ex quibus apertis aut diſruptis exilit, inciditq; aut in muſculos meſopleurios, aut inter coſtas & ſuccingentem membranam*, præter has principes venarum e

Lib. de part. morb. c. 11.

lacuna

lacuna progenies, poſtquam lacuna aſcendens azygotam progenuit ad iugulum rectà delata, antequam in duas fauces coarctetur, ab anteriori ſede magnæ illius in iugulo bifurcationis, duæ prodeunt venæ, quæ ſecundum xyphoidis latera deſcendunt (quas mamillares vocant) hæ inſigniores aliquot ramos rectis muſculis abdominis porrigit, & in plures ramuſculos circa vmbilici regionem, in glandulas terminantur & obliterantur.

Hæ mamillares, interdum à ſubclauiarum radicibus poſtquam nonnihil à iuguli medio proceſſerunt, oriuntur; Aliquando verò, alteram illarum à ſubclauia, alteram ab ipſa bifurcatione prognatam obſeruabis. Sed etiam non infrequenter ſolitaria à medio, & anteriori lacunæ ſede exoritur, & in duos fiſa ramos, vtroque xyphoidis latere deſcendit. adeo incertus eſt mamillarium ortus, & anaſtomoſis originalis, ratione cuius tot turbas excitauit Gardinus.

Enimuerò, ſubclauia ſtatim à principio ſui, intercoſtalem de ſe promit, qua duas, aut tres coſtas ſuperiores exilibus admodum ramuſculis alit, dum azygota eius munere non fungitur, ſed & hæc à trunco

lacunæ

lacunæ, etiam aliquando exoritur.

Dum verò ſubclauia thoracis cauitatem ſuperauit, axillarem conſtituit, quæ thoracicam progignit, ea ſecundum latus & dorſum progenies ſuas ſpargit ad extra, licet aliquot eius apices interius penetrēt. Per hanc, inquit Fernelius, ſi ſanguis in externos muſculos effuſus fuerit, ex materia quidem veram, at ex ſitu notham pleuritim facit.

Sunt & aliæ, aliarum venarum ad lacunam, aut his proximè enatos ſtolones anaſtomoſes, porrò lacuna ilicò ac diaphragma tangit, duas illi non vulgares offert propagines, per vniuerſam ſepti ſedem multiplici ſobole excurrentes (phreneticas vocant) quin & ramulos quoque cordis inuolucro (capſulares dictas) diffūdit: vbi vero lacuna cordis ipſius ventriculo dextro, anaſtomoſi connaſcitur; venulam (quam coronalem vocant,) miniſtrat, quæ cordis baſim ambiens, ad conū ipſum progenies mittit.

Enimuerò, azygota diaphratontes dictas venas membranis thoracem interſepientibus elargitur, qua illæ dorſo continuantur.

Multæ ſunt aliæ ignobiliores propagines

es à lacunæ parte ſuperiori enatæ, vt muſ-
ulea, thymica, & aliæ; quæ omnes vel
n lacunam ipſam, vel eius faucibus, ana-
omoſi iunguntur originali, quas hic re-
enſeri oportuit, quoniam per eas ana-
omoſes, fluxiones ex lacuna fiunt, quæ
norbos laterales, ſiue pleuritidum ſupra
rticulo 4. deſcriptarum differentias, in-
ehunt.

Inferioris lacunæ pars, ſimulatquè ad
acri oſſis baſim peruenit, iliaci aluei illi
daperiuntur, ex quibus alueis paulò in-
ra, epigaſtricæ oriuntur, quæ per rectos
bdominis muſculos, ſurſum repentes cir-
a vmbilici regionem, terminantur, vbi
namillaris deſcendentis apices finiri ad
landulas, diximus.

Sicuti vero ſubclauia ramorum multi-
lici ſerie, & diuiſione ad manuum extre-
na per cubitum, vbi baſilicam & alias ve-
nas conſtituit, peruenit & finitur, ſic
liacæ per crura delapſæ ad pedes termi-
nantur, vbi ſaphenas, ſciaticas, & alias
bidem venas conſtituunt, ſicut videre eſt
n figura prima in fine Articuli 5. poſita.
Ex quibus patere arbitror, omnes iam ve-
narum progenies, vel mediatè vel imedia-
tè ad lacunam pertingere, per anaſtomoſes
originales.

Has

Has verò originales anastomoses etsi dissimulato termino, exortus velit nominare Gardinus, anastomoseos termino nos edocuit Galenus, vbi anastomoses vasorum in corde assignat, lacunæ, arteriæ magnæ, venæ arterialis, & arteriæ venalis, quæ sunt vasorum istorum oscula in cor ipsum hiantia, *Natura* inquit, *arteriam magnam ad craßum quidem & densum pulmonis, ad tenuè verò & rarum, venam cauam per anastomosim applicat. & vas hoc in fœtibus ex caua quidem vena sanguinem, per quandam magnæ magnitudinis anastomosim recipit.*

Lib. de vsu part. 6. cap. 21.

Terminales anastomoses, sunt venarum capillarium insensibiles pori per totum corpus dispersi, multitudine infiniti, de quibus Galenus lib. 3. de vsu parti. cap. 4. *Mirabili artificio à natura factum est vt quæ ex venarum orificijs elabuntur substantiæ totum cerebrum permeent.* Tales sunt portæ propagines chylum in hepar deponentes, tales lacunæ ab eodem hepate chylum iam in sanguinem conuersum attrahentes. Ista venarum oscula path. lib. 5. cap. 3. extremas arteriarum partes nominat.

Est ergo anastomosis terminalis, pori apicalis, insensibilis & moderata laxatio,

siue

ſiue ad deponendam ex miniſterio commiſſam materiam, ſiue ex officio trahendam. Attamen illa recluſio, ſiue oſculi laxatio, tamdiu naturalis eſt, quamdiu in laxatione, aut reſeratione ſua, ſymmetriam retinet, nam ſi iuſtum modum excesſerit, morboſa fit paſſio nomine immutato, ſic fluxus ventris ſi modum exceſſerit, morboſa fit ſolutio.

Tales vitioſas anaſtomoſes docet Galenus fieri in ſanguinis ſputo, παλὶν inquit ἀναστομωθῆναί τι τῶν ἀγγείων ſic & in fluxu hepatico, & licet diapedeſi hæc fieri dicat Gardinus, non anaſtomoſi, contrarium tamen ſentit Galenus ibidem docens γένοιτο ἂν ποτὲ καὶ δι' ἀναστόμωσιν μικρῶν. Lib. 7. th. c. 2. & de C. R. per V. S. c. 8.

Patet ergo ex præcedentibus, quod terminalis anaſtomoſis finis, eſt ſanguinis ex lacuna, ad partem cui famulatur attractio, quippe iſto miniſterio, omnes corporis partes alimentum recipiunt.

Sunt ergo venarum anaſtomoſes terminales, ſunt originales quas ſic diſtinxi doctrinæ clarioris gratia, & vt Gardini Academici captionibus obuiam irem.

Tertiam Galenus dedit anaſtomoſeos differentiam, ſcilicet eam qua duæ venæ in medio membri coeunt, ita vt ex dua-

bus

bus venis vna fiat, quæ rurſus in duas aliquando finditur, & huius pars aliquando iterum cum alia coit; per quam anaſtomoſim venæ propriè ſocietatem inire dicuntur, ſic Liſa & Scalda coeunt & vnum maiorẽ iunctis canalibus alueum, efficiũt, ſic Mœnus & Rhenus ſocietatem ineunt.

Lib. 3. de anat. adm. cap. 12.

Huius anaſtomoſis modum per coitionem, clarè docuit Galenus paſſim lib. de ven. diſſect. c. 9. *Coeuntibus inter ſe venis*, συνιόντων δ᾽ ἐκείνων πρὸς ἄλληλα. *ac quæ ex coitu factæ ſunt, rurſum concurrentibus*: ſic vel neophyto chyrurgo multiplex conſpicitur in brachij flexu cephalicæ & baſilicæ coitio, docente Galeno εἰτ᾽ ἐνταῦθα συναπτομένας, *interdum verò celeriter hic in vnum* συνιούσας:

Similiter & de hac coitione egit lib. de vſu part. 4. c. 13. *Natura* inquit *multas venas illas quæ à ventre & inteſtinis omnibus, ferunt alimentum, ad hepar cum vniuiſſet, ad portas rurſus in quamplurimas illas diuiſit*; ſic omnes ſplenis progenies in vnum ramum coeunt, ſic in hæmorrhoidali inteſtinales plures, quod clarè ſic explicat. *Iam verò, omnium quos retuli terminum ora coeunt, & ex vno quoquè duorum coitu, vas vnum confluxile conflatur, vt quos*

vnita

vnita coierint, præ multitudine & paruitate ne quidem numerare posſis. Loquitur autem de coitionibus venarum ex ſubclauia deſcendentium, quæ ſæpius diuiſæ in multiplices ramos, rurſum in cubito & partibus inferioribus coaleſcunt & anaſtomoſi vniuntur; tales ſunt Galeno per coitionem anaſtomoſes.

Quod verò Gardinus aut quiuis alius, in azygotæ ramis cum mamillari, aut thoracica, aut in mamillaris cum exigaſtrica anaſtomoſes per coitionem oſtendet, id eſt quod pernego, cum ſenſu & experientia, & præſtantiſſimis anatomicis contrà ſentiente Galeno, vt poſtea dicetur.

Huius anaſtomoſis finis', eſt venarum corroboratio, quippe cum venæ vaſa ſint debilia & longam viam ineundo, ſenſim gracileſcant ſæpius diuiſæ, natura illas ſæpius coire fecit, vt ſic retis modo cancellatæ & ſibiipſis copulatæ, adeſſent & firmarentur, atquè ſic tutò diuiſæ pluribus & remotiſſimis etiam partibus communicarentur, tum etſi accideret vnam diuidi ex toto, membrum, aut pars cui talis vena famulabatur, alterius coeuntis beneficio frueretur, ſic docente Galeno de

vſu part. lib. 4. Cap. 7.

His anaſtomoſibus ſic ſtabilitis, reſtat examinandum, quod volunt quidam

An Arteriæ cum venis coeant, & quomodo: & an ſit ex his in illas promiſcuus materiarum refluxus per anaſtomoſes.

AC primò arterias à venis aliquid trãſumere poſſe Galeno viſum eſt, quod dilatandi ſe poteſtatem habeãt, qua facultate carent venæ, vnde nat. facult. lib. 3. cap. 13. *Quæ arteriæ* inquit *parte aliqua ad venas ſe adaperiunt, quod tenuiſsimum, maximéque halituoſum in ijsi ſanguinis eſt, attrahunt & Cap, 14.* propoſitionem ſuam experimento comprobare nititur, inquiens *Quod autem ex venis in arterias transfertur aliquid, illud ſatis euidenti argumento eſt. Si enim multis, ampliſque præciſis arterijs, iugulare animal volueris, inuenies eius venas & arterias, vacuatas, quod ſanè non fieret, niſi haberent in ſe altera in alterum ora recluſa. Ergo cum omne dilatatum ad ſe trahat, non mirum tibi videbitur arterias omnes, quæ ad cutem finiuntur*

iiuntur externum aërem cum dilatantur attrahere: per apicales ſcilicet anaſtomoſes, nam coitiones arteriarum cum venis anaſtomoſi, ſicut docet Gardinus o1at 4 & fingit figura 2. pag. 62. per ferruminationes improbat Galenus *li an ſanguis* cõtra Eraſiſtratum, vbi arterias à venis ſanguinem ſſumere negat. Porrò cum Eraſiſtratei ſſererent arterias ſanguine vacuas, ſpiitum duntaxat continere, & contra Galenus inſtans demonſtraret ad ſenſum ipis præſentibus, punctas cultello, aut ſtilo medico arterias, ſanguinem fundere, x illo foramine totas euacuari, ratiocinans, quoniam arteria vulnerata ſanguinem egredi videmus, duorum alterum ſit pportet, vel in arterijs ſanguinem contineri, vel aliunde in ipſas confluere; Quod i aliundè manifeſtum eſt vnicuique, anequam vnitatis eam ſolutionem paſſæ eſent arteriæ, ſpiritum ipſas duntaxat continuiſſe, Atquè ſi hoc verum eſt, oportet n vulneratis prius quam ſanguis egrederetur, ſpiritum exire conſpiceremus, at oc non, ſed contrà vulnerata arteria ilicò nguinem egredi videmus, vnde procul ubio conficitur, antequam vulnus illaum eſt ſanguinem in arterijs contineri; Cap. 1.

 Reſ-

Respondebant Erasistratei ilicò spiritum egredi, nec præ tenuitate videri, & subitò ex venis per apicales anastomoses, sanguinem sequi, egresso namquè spiritu, primùm in postremis arterijs exinanitionem conspicuam fore necessè est & periculum fit, ne locus inanis reddatur, quamobrem patefactis venarum & arteriarum ostiolis sanguis necessariò spiritum abeuntem sequitur: Quæ consecutio ad vacuum, fieri non potest, nisi arteriæ extremitatibus suis cum venarum itidem extremis osculis veniantur.

Quod si in medio per ferruminationes & coitiones vnirentur, sicut docet Gardinus, profectò malè Galenus contra Erasistrateos sūpsisset, perforata stilo arteria in cubito, necesse esse omnes arterias spiritu vacuari, donec ad vltimas earum apices in corporis extremitatibus peruentum esset, vbi anastomoses arteriarum & venarum duntaxat agnoscere videtur, sicut & in fine Cap. 10. vbi ait. *Cum verò primum ad vltimas arteriarum partes vacuitas peruenerit, è venis in arterias adapertis ipsarum ostiolis sanguinis transit, partim ex inferioribus membris ascendens in arteriam quæ spinæ adiacet & cor intrat, indequè deimum*

num ſub alam excurrit, partim à capite deſcendens in arteriam, quæ ſurſum procedit & ex ea in ceruicis, vulneriſquè arteriam poſtremò deueniens : in qua ratiocinatione nullam facit venarum cum arterijs coitionem in medio, quia ſi eſſent, præſto Eraſiſtrateis erat, quod arteriæ vacuatæ conſecutione ad vacuum, ab incubis ſibi venis & coniugibus in medio ſanguinem celerrimè traherent, at contra docuit arterias omnes à collo vſque ad ilia, ab aorta prodeuntes, à venis ſanguinem non trahere, ſed à corde, neque verò diaſtole arteriarum ſanguinem è venis dumtaxat trahere ſed vacui & continui neceſſitate: cum ante diaſtole ab illis aerẽ trahi & halitus, aut tenuiſſima conceſſerit. *3. nat. fac. cap. 13.*

Quod verò arteriæ per terminales anaſtomoſes à venis ſanguinem non trahant, imò nequè ſpatijs inanibus effuſum (contrarium antedictis ſentiens) docet idem Galenus. *Sanguinem ex intercoſtalibus locis in magnam arteriam transferri impoſsibile eſt, quippe à ſpiritu, qui à corde per magnam arteriam ad hæc loca tranſmittitur, repulſus ilicò reijcitur.* Negat hic arterias per terminales anaſtomoſes quod aſſerebat Eraſiſtratus, ſanguinem aut pus ex- *De loc. aff. lib. 5. cap. 3.*

 tra-

trauasatum transsumere. *Declarauit* inquit *Erasistratus eas arterias, quæ à magna arteria ad singula intercostalia spatia procedunt* (quod & asserit Gardinus) *per ora quæ ad inflammatam partem perueniunt, sanguinem suscipere.* *At* inquit *si tam facilis est per extremas harum arteriarum partes transitus, vt incidens in eas sanguis, tam celeriter vacuetur, fieri non potest, vt impactus inflammationem excitet, eoquod impingi & excidere sunt contraria:* addit arteriarum apices esse durissimos, nec facilè aperiri, venas motu carere atque ideo ad sugendum & attrahendum ineptas.

In orat. 4. quod & passim.

Quæ Galeni ratio valet etiam contra venarum & arteriarum anastomoses, quas in medio per coitionem fieri, siue ferruminationem asseruit Gardinus. Quippe si a terminalibus anastomosibus, spiritus impulsus, sanguinem reijcit, profectò in media via potentius id efficiet, vnde frustranea erit talis venæ & arteriæ coitio; vel si patentior fuerit anastomosis, sanguinem arterialem in venas propelli necesse est, atquè ita sanguine arteriali cum venoso commixto, frequentes erunt diapedeses & abscessus sanguine sic tenuato καὶ ἀθρόως ἐπὶ τὸ στόμιον αὐτοῦ ruente sic docente

cente Galeno th.lib.5. cap. 3. & de inæquali temp. cap. 9.

Enimuerò arteriarum per apices tractioni, obstare etiam videtur Galenus contra Erasistratum, qui cor per arterias intestinales celiacam scilicet & iliacam & mesentericas sanguinem attrahere docebat. *Arteriæ*, inquit, *ex intestinis & ventre, quæ crassum grauequè nutrimentum in se continent, non possunt aliquid de quo ratio habenda sit transferre, cum prius leuioribus impletæ sint*, vnde sequitur arterias sanguine subtili & spiritu plenas, sanguinem è venis crassiorem non attracturas, quippe quod illas etiam ratione continui & vacui tracturas contendit, non diastole, quoniam sistole ilico cósequitur, quæ plura deijceret quam diastole sumpsisset, per quam externum aerem illas trahere docet, vel ex venis si quid trahere possint, id erit, *quid tenuissimum maximeq́ halituosum* vt ante monuit, sanguinis verò substantia & corpus minimè per diapedesis modum naturalem ἀραιωθέντος τοῦ χιτῶνος.

Lib. 3. nat. fac. cap. 14.

Lib. nat. facul. 3. cap. 13.

His addo, rationi & naturæ partium consentaneum non videtur, quod arteriæ venis possint adunari, ita vnum fiant,

Th. lib. 5. cap. 3.

quia cum venæ ſimplici tunica & debili, arteriæ duplici & firma conſtent, talis vnio facilè ſolueretur, arteria quo motu præterea valet, venam paulatim ſoluente, & lacerante.

Quid ergo ad Galeni experimentum dicemus?

Reſpondeo primò. Experimentum docet arterias à venis trahere poſſe, motu dilatationis, venas autem quæ motu illo carent tractiuo, non ſimiliter, cum autem pro reuulſione venæ ſecētur, non arteriæ, non videtur multum referre, ſi arteriæ trahant à venis aut non.

Si dicāt venas ratione vacui trahere, dicetur quod non, quia cum nō ſint cum arterijs continuæ, quod requiritur ad illā per vacuum conſecutionem, obſtat ratio ſuprà poſita contra Eraſiſtratum.

De loc. aff. 5. cap. 3.

Reſpondeo 2. Experimentum non concludit conſtanter illarum venarum in iugulato animante, præciſis multis magnis arterijs exhauſtionem fieri per anaſtomoſes terminales, aut intermedias.

Primò, propter ſupradictas à Galeno ipſo rationes, quibus contra Eraſiſtratum negat arterias ex venis, aut locis vacuis ſanguinem tranſſumere poſſe, atque in aortam

portam deferre: ex quibus, patet ipſum ſibi non ſatis conſtitiſſe.

Secundò, quia ipſe Galenus compendioſiorē viam eiuſmodi vacuationis edocuit, quippe qui arterias & venas, per originales in corde anaſtomoſes maximè vniri & inter ſe communicare aſſeruit, vnde nō immeritò Ariſtoteles cor venarum, ſicuti etiam arteriarum omnium principium ſtatuiſſe videtur, principium inquam originis, & principatus, cum hepar radicationis venarum ſit exordium.

Quod verò cor ex lacuna venali ſanguinem trahat per principem illam anaſtomoſim, qua lacuna illi dextro latere adaperitur, omnibus in confeſſo eſt, arterias verò à corde eundem ſanguinem attrahere, contra Eraſiſtratum aſſeruit idem Galenus, quomodo autem arteriæ à lacuna per cordis medium trahant, apertiſſimè docet nat. facult. lib. 3. cap. 14. *Lib. 3. nat. fac. cap. 4.*
Pari autē modò in ipſo quoque corde, ex dextro eius ſinu in ſiniſtrum trahitur quod tenuiſsimum eſt, habente ſcilicet in ſe eorum interpoſito ſepto foramina & poros quoſdam, quorum tamen vltimos fines (anaſtomoſes) tum propter paruitatem, tum quod in animali mortuo omnia ſunt perfrigerata ac conden-

dēſata, contueri non licet. Hæc ita eſſe comprobat ratio, quia cum lacunæ anaſtomoſis ad dextrum cordis ventriculũ multo maior ſit anaſtomoſi venæ arterialis, & propterea dexter cordis ſinus plus ſanguinis recipiat ex lacuna, quam vena arterialis ad pulmonem transferre poſſit; & propter valuulas in lacunam remeare nequeat, fruſtra tantam in dextra cordis parte ciſternam feciſſet, imò periculosè & temerè egiſſet, niſi pars ſanguinis, illius ciſternæ, per medium eius, ad ſiniſtrum ventriculum tranſiret. Hinc Botallus verò cõmento obſeruat porum ſanguinis ductorem ex dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum, quem venam nutritiam arteriarum vocat, licet ſint & alij quamplurimi minus conſpicui.

Hanc doctrinam ſequitur Veſalius fab. hu. lib. 6. cap. 14. & Curtius in Mundini Anat. Coment. 35. & Riolanus in anthropographia. lib. 3. *Per venas* inquit Veſal. *& arterias mutuus ſit materiarum refluxus, cordis inſuper membranulæ, omnium materiarum regreſſum non occupant.* Quæ Galeni doctrinæ conformiter protuliſſe videtur. Sic enim *non ita claudi poſſunt ora vaſorum in corde vt nihil ex ijs recurrat retrò.*

Nat. facul. lib. 3. cap. 13.

Ex

Ex quibus euidenter probatur Galenum censuisse arteriam magnam, à lacuna venali sanguinem continuò prolicere, & vicissim ab illa in cauam remeare posse, eadem qua fluxerat via.

Quæ si vera sunt, ad quid anastomoses illæ venarum cum arterijs aut terminales aut intermediæ? quippe si cor ex lacuna attractum sanguinem maioribus & principibus arterijs suppeditat, cur non omnibus ex se prognatis propaginibus, sicut lacuna suis, subministrabit quod arteriæ principes & aorta per cordis anastomoses sanguinem habeant, docet Gal. *Arteriarum ea quidem, quæ à corde subit ad colum & quæ porrigitur per spinam & quæcunque ijs præterea sunt vicinæ, quæcumque per ventrem & pectus discurrunt ex eo ipso maximè corde:* eo modo quo ante dictum est ex lacuna venali per cordis interiores poros sanguine transmisso. *Nat fac. lib 3. cap. 13.*

Respondeo 3. Præcisis magnis arterijs, venas posse vacuari, citra prætensas anastomoses terminales. Quippe probatum iam est, per eiusmodi anastomoses nil nisi tenuissimum posse ab arterijs attrahi: At per originales lacunam posse violenter omninò vacuari manifestum est: etenim

va-

vacuatis repentè & impetu per eam ſciſ-ſionem magnis arterijs,cor vitæ fons omnium venarum ſanguinem ad ſe pari motu trahere potis eſt, dilatatis etiam per vim internis cordis orificijs, violēto duello, quod accidiſſe viſum eſt, in quibuſdam repentè mortuis, quibus cor diſruptum apparuit vehementi pathemate affectum,ſicut narratur de peregrino quodam nobili in ſacro monte Oliueti,& quadam virgine Chriſto præſente & quærente amas me, & profectò ſacræ illæ hiſtoriæ incredibiles non ſunt. Quippe ſimile quid accidiſſe, Guicardino Hætruriæ ducis apud Gallum legato teſtatur oculatus teſtis Laurentius, is enim cum ad regis pedes repentè occubuiſſet, & alij alias mortis adeo repentinæ cauſas proferrent, aperto thorace, cor eius in tantam molem excreuiſſe compertum eſt, vt ferè totum thoracem occuparet, ventriculis apertis ſanguinis ingens quantitas erupit, ad libras circiter quatuor, lacunæ anaſtomoſis lacera inuenta eſt, ſicut & valuulæ triangulares, magnæ arteriæ anaſtomoſis ita ampliata & dilatata vt brachij ferè craſſitiem æquaret, vnde tanta facta eſt repentè in vtroque cordis ventriculo ſanguinis

In Speculo excemp.

Lib. 9. quæſt. anat. quæſt. 10.

guinis refusio, vt cor suo motu priuatum repentè Guicardinum suffocari necesse fuerit.

Quibus historijs & rationibus docemur in violento duello, præcisis magnis arterijs, posse repentè lacunam vacuari, per vim etiam reseratis orificijs, laceratisque quæ impediunt valuulis, neque opus esse ad impotentes prætensas anastomoses recurrere, quas adeò repentè lacunam vacuare, est impossibile.

Huic doctrinæ Galeni & Vesalij consentire mihi videtur Riolanus, *Si valuulæ sigmoides* inquit *impediunt sanguinem à pulmone in cordis ventriculum refluere, quomodo sanguis pulmonis poterit per venæ sectionem ad cauam remeare, quandoquidem venæ pulmonis, nullam cum caua nisi mediante cordis ventriculo dextro habeāt communionem:* *Ego* inquit *existimo tribus, quatuor, aut pluribus sectionibus* (quinimò & vna si maxima fiat vacuatio) *vacuata caua, sanguinem qui in pulmone inundat, ad cor ipsum confluere, demittentibus seipsis sua spontè valuulis, vt sanguini viam faciant, ipso naturæ motu, quo cauet ne vacuum fiat.* Quibus docemur in sanguinis sputo, sanguinem tuto posse etiam maiore quantitate detrahi,

Anthrop. lib.3.cap. 11.

hi, contra æmophouorum quorundam peritiam, qui in aſtringentibus per os ſumptis nimium confidunt.

Sic ergo confectum eſt experimentum Galeni, pro terminalibus anaſtomoſibus arteriarum ad venas nihil conducere, originalium verò poteſtatē omninò probare.

Orat. 4. propoſ. 9. decreti. Nunc particulariter indagandum, num quod voluit Gardinus conſtanter aſſeri poſſit, nempè arterias epigaſtricas ſurſum aſcendentes, cum mamillaribus iuxta vmbilici regionē anaſtomoſi coitionis vniri.

Reuerà id inficiatur Galenus lib. an ſanguis in arterijs. cap. 4. vbi docet arterias meſentericas & abdominis, & mamillares deſcendentes & epigaſtricas aſcendentes, mediante magna arteria ſociari.

Fortaſsis inquit *Eraſiſtrati ſectatores, vt ſitu ſic continuitate illas inter ſe proximas opinantur, non aduertentes ab arteria magna quæ ſpinæ incumbit, & omnes illas oriri, quæ ad meſenterium deueniunt & pleraſque ex illis quæ imum ventrem occupant: Quanquam nonnullæ etiam arteriæ ex inguinibus aſcendentes* (ideſt epigaſtricæ) *partim è pectore deſcendentes*, ideſt mamillares) *per arteriam magnam quæ ſpinæ incumbit media hiſce*

hisce arterijs iunguntur quæ in mesenterio sunt, quamobrem ab his ad illas non affectionem, non inanitionem, non denique aliud quidpiam transire continget, nisi prius in arteriam perueniat quæ spinæ inhæret, hæc cuiusmodi sint per similitudinem explicare nitar.

Arteriam quæ spinæ inhæret perinde atque truncum vnius arboris esse cogites, alias verò ex ea ortas, veluti ramos, & rursus alias quæ à se inuicem diuisæ æquales protenduntur, sicut in ramis germina & folia: Quemadmodum igitur folia è diuersis ramis prodeuntia plerumque interuallo sibi propinqua sunt, quamuis longo sint exortus processu copulata (nam trunco folia inter se iunguntur) sic & arteriæ quæ in imo ventre disperguntur, etiamsi propinquæ spatio sint arterijs mesenterij, longo tamen originis interuallo se contingunt.

Quibus clarè demonstratur arterias omnes, sicut & venas, quarum extremitates ob contiguitatem vniri videntur, originali duntaxat anastomosi sociari. Sed de venarum anastomosibus nunc etiam seriò agendum est.

Sunt qui venas volunt coire & sociari, ita vt extrema eorum oscula, osculis iungantur, *Therap. lib. 5, c. 2.*

Thc. l. 5. cap. 3. gantur, de quibus egisse videtur Galenus dum ait sanguinem ruentem confestim, ἐπὶ τό ϛομίον αὐτȣ̃ ex eius osculo egredi. sic azygotæ apices, thoracicæ apicibus iungi, similiter & epigastricam ascendentem cum mamillari descendente, & intercostalem cum thoracica coire contendunt, quod notasse videtur Galenus lib. de venarum dissect. cap. 8. *Est* inquit *alia venarum coniugatio, quæ per rectos musculos ascendunt, deinde extremis coniunguntur venarum, quas sub thoracis subcartilagineo descendere dixi.*

Illas asseruisse videtur Laurentius anat. lib. 4 quæst. 5. cap. vlt. & lib 9. cap. 7 Hollerius lib. 1. de morbis internis cap 21. & Sclanus coment. ad aph. 26. lib. 1. Amatus Lusitanus similiter & ante illos Gordonius *in lilio*, licet eas à paucis obseruatas, & vt quid nouum eas ventilet Gardinus fortè Laurentio credens, qui anatomiæ li. 4. cap. 3. eas paucis cognitas asserit. Propos. 9. decreti.

Veruntamen in his asserendis, non satis sibi constiterunt: ipse Amatus Cent. 5. curat. 7. contrasentiens docet azygotæ ramos non omninò iungi & copulari propaginibus venæ mamillaris, aut alterius ab axilla descendentis, sed oscula osculis

ita esse propinqua vt copulari videantur. Similiter Riolanus de thoracica & azygota sentit. Laurẽtius aliquãdo tres aut quatuor ramos copulari, non semper, asserit. Ipse Galenus mamillaris inquit aliquot apices, cum aliquot apicibus azygotæ ἀναμίγνυνσαι τοῖς πέρασι non vniuntur cap.7.de epigastricis sic scribit: *Quæ ex imò subeuntes, supernè venientibus venis coniunguntur, sine arterijs ad glandia quædam euadunt.* Ex quibus duo elicio.

Anthrop. lib.3.c.8.

Anat.l.4. quæst.5.

Lib. de venar. diss. c. 8.

Primò, eas venas non terminari per anastomoses & ad inuicem vniri, sed in glandulis eius regionis vt corpore communi coniungi, sicut portæ & laçunæ in hepate.

Secundò, non habere comites arterias anastomosi inter se vnitas, sicut docet Gardinus, vt sectione saphenæ reuellat & vacuet à succubis & coniugibus arterijs. Quæ doctrina vt clarior euadat

Notandum est Galenum sæpe hæc confundere, *confluere*, *commisceri*, *coniungere*, *copulari*: quæ tamen omnia anastomoticam vnionem non significant, sic lib. de vsu partium 3.cap.5. *Venæ* inquit *& arteriæ adeo sũt vicinæ ac propinquæ plerumquè, vt quæ in ventriculum, ieiunum, te-*

nue intestinum & colum inseruntur, sese contingant, in cerebro propinquæ adeo sunt arteriæ, vt sese mutuò contingant, & de vsu partium 9. cap. 5. & 15. cap. 12. *commiscentur venæ arterijs & vtraquè hæc neruis, & his ambobus nerui in toto corpore*, & paulo post *inuenias arterias quamplurimas veluti fibras exiguas, à crassa meninge extra tendentes, & ab externis intrò subeuntes, sibiquè vtrasquè ad ossium commissuras coniunctas*, & lib. de venar. dissect. cap. 7. *permiscentur autem harum omnium venarum extrema, non modo cum adiacentibus, verum etiam cum è regione positis, eodem enim confluunt venarum ad sinisteriorem existentium partium fines, cum ijs quæ ad dextrum, situm habent*. Vbi confluentia, similiter & permixtio nil aliud significãt, quam approximationem, qua & nerui cum arterijs permiscentur & venis, quæ anastomosi vniri nequeant. contra Prazagoræ sententiam.

De plac. lib. 1. c. 7. Notandumquè interpretes Galeni, sicuti loco supra citato de venar. dissect. cap. 5. sæpè pro *permisceri aut commisceri*, copulari & cõiungi reddidisse, licet præcisè sumpta sint valde diuersa, sicut & eodem capite 5. de epigastricis apicibus occurrentibus mamillaribus agens, pro *mittunt*

versus

versus extremitates, reddiderunt, *coeunt*, sic, Harum venarum portiones coeūt cum venarum aliarum extremis, textus enim habet ὀλίγη μοῖρα αὐτῶν εἰς ταὐτὸ ἥκει πέρασιν ἑτέρων φλεβῶν. pauci apices eo loco, obuiam eunt extremitatibus aliarum licet & cōmisceri aliquādo etiam coitionem importet, sicut cap 3. dum venas à subclauia enatas in cubiti fluxu, coitu iungit, & è duabus μιχθεισῶν αὐτῶν maiorem venam facit, εἰς ταὐτὸν inquit ἴασιν ἑνούμεναι πρὸς ἀλλήλας. ibi eandem viam ineunt & coeunt in vnum tubum, quod explicat capite sexto συνάπτονται μέν τοι διὰ παντὸς ἀλλήλαις, quas venarum coitiones coniugia vocat εἰσὶ τῶν τοιούτων φλεβῶν συζυγίαι quamuis non omnes coniuges venæ, sicut nequè omnes quæ confluunt & commiscentur, coeant & vnum tubum efficiant, sed duntaxat συναπτόμεναι ἀλλήλαις. Ergo extremitatum venarum *coniunctio, commixtio, confluentia*, anastomoticam vnionem non significant, vnde rectè Riol. Anthropograph. lib. 3. cap. 8. docet thoracicam & azygotam non communicare osculorum hiatu seu anastomosi apicali, sed contiguitate viciniæ, ad anastomoticam verò vnionem, requiritur continuitas.

Gal. de venar. diff. c. 5.

Enimuerò, has anastomoses, siue apicales venarum vniones, nulla probabili, nedum efficaci ratione asseruntur.

Primò, Amatus & harum vnionum siue coitionum assertores, fatentur se hæc in alijs atquè alijs corporibus aliter atquè aliter inuenisse, cum interim natura nil fecerit frustra, frustàque fecisset, vel in quibus non sic fecisset, errasset; Porrò ex Galeno & Vesalio satis constat, finem apicalis seu terminalis anastomosis esse partium corporis, quibus eiusmodi apices famulantur, nutritionem, per nutrimenti ad eas attractionem, quod partes ipsæ per venas ipsas à matrice communi lacuna trahunt, & ab anastomosibus exsugunt, ad quem finem impertinentes sunt & otiosæ, ne dicam contrariæ & damnosæ anastomoses prætensæ: Quippè quæ contrarium quam à natura edoctæ sunt motum, tractumquè cierent, imò duplicem & quidem contrarios, nempè à caua & ab oppositis sibi venis: Contra quod edocuit Galenus, dum venarum apices particulis membrorum insertas, pecudum multitudini comparauit, quæ in medio positum fœni aceruum, singulæ ad se trahunt; vt verò quod vicinum animal in se iam contraxit,

De vsu part. 4. c. 7. Anat. lib. 3. c. 2.

Facult. nat. 3. cap. 13.

traxit, vicinum ab illo trahere non poteſt, *ſic qui in quaquè particula iam contentus eſt ſuccus, hunc alteram particulam reuellere, credibile non eſt, maximè vbi iam agglutinatur & aſsimilatur:* nempè quia iam venis & communi fonte abdicatus, proprius factus eſt; At verò, quemadmodum cum communi adhuc in aceruo fœnum eſt, è vicini dentibus, vicinum animal, trahere potis eſt, *ſic qui in venarum adhuc ſinibus eſt ſuccus laxis & liberis* ἐν ταῖς, εὐρυχωρίαις τῶν φλεβῶν. *quæ magis valens, magiſquè indigens particula eſt*, validius trahens eum à proximi quodammodò faucibus, *in diuerſum ad ſe reuellit*, nempe quia diuerſarum partium rami multiplices, & diuerſi, in communem & maiorem venam anaſtomoſi coitionis vniuntur.

Facult. nat. lib. 3. c. 13.

Secundò, ſi vllibi in corpore terminales anaſtomoſes vſui eſſe poſſent, maximè in hepate vtiles erunt & aderunt, ſicuti & in vterino iecore, quam placentam vocant quidam, nempè vt materiæ ex meſeraicis per portam in hepar, & ex in eo lacunam ferantur, tum vt per eaſdem vias mutuo refluxu, & reciproco miniſterio, inteſtina à caua vena ſanguinem ad ſui nutritionem habere poſſint, tum &

peccantes humores medicamentis attracti, vel sponte depulsi vacuentur, tum etiam vt ab vtero ad fœtum per vmbilicales ramos sanguis deferatur; Ac sicuti hic anastomoses nō adsunt, sic nec in illo esse docet Galenus: *Quinetiam inquit venæ quæ in gibbis sunt, non coniunguntur cum ijs quæ in sima sunt*, cui cōsentit Andernacus, *Symæ partes hepatis transsumentes chylum, cum ijs quæ gibbam perreptant non coeunt*, & Fernelius *venæ portæ sectione multiplici in omnem iecoris substantiam exhauriuntur, & quæ ab eius conuexo emergunt à caua, eæ quoque plurimos riuulos per iecoris intimam partem, quasi radicibus diffusis mittunt, & hæ nihilominus, neque illis quas modo dicebam à portis in singulas fibras distributis continuatæ sunt, neque ad illas extremitatibus se applicant, neque aliud quidquam præter iecoris substantiam commune intercedit*. Riolanus sic *Anastomosis radicum portæ & cauæ (si verum sit aliquam esse) exilis admodum est, crederem potius humorem sanguineum per portæ apices in hepatis substantiam defluere*, & Fallopius fatetur, se quacumque etiam adhibita diligentia & importuno labore eas inuenire non potuisse.

De vsu part. 4. cap. 13.

Anat. l. 1.

Anat. lib. 1. cap 10.

Antrop. lib 2. cap 17.

At contra hanc Galeni doctrinam Laurentius, & Spygelius, & alij quidam anastomoses portæ & cauæ asserentes, arguũt.

Si portæ & cauæ apices mutuis anastomosibus in hepate non coniungũtur, quomodo intestina ab hepate sanguinem ad sui nutritionem habebunt, & illa chylum ad hepar ipsum inferent? at verò quomodo natura peccantes in venis humores per interna venarum in lacunam translatos, & ex ea in hepar, tum ex illo per meseraicas & intestina foras, vel proprio molimine vel medicamenti attrahentis potentia vacuabit? *Nat. fac. 3. c. 13.*

Ad has & similes querelas iam patebit responsio, dum Aselj commentum de chyliferis venis, seu lacteis ab Herophilo olim assertis, examinabo.

Hic enim prædictis quæstiunculis & difficultatibus irretitus, anastomosibus valere iussis, per alias vias sanguinem ex hepate ad intestina, per alias chylum ad hepar deducit, non intelligens quo modo hepar & intestina, concessis etiam prætensis anastomosibus, per easdem vias & venas sanguinem & chylum reciproco tractu prolicerent, multò minus vt per easdem vias hepatis excrementa vacuaren-

 tur

tur citra laudabilium succorum permixtionem & corruptionem, sicut docet Gal. nat. facult. 3. cap. 13.

Reuera si partes per venas, tanquam per folles vacui duntaxat consecutione traherent, commentum Aselij aliquam rationem præseferret, at verò, quoniam partes omnes magnetismo trahunt, nulla est in huiusmodi reciproco confluxu difficultas, hepar enim amicum sibi chylum, vt hospité gratum, ex officio prædestinata scientia, & potestate trahit, fouetque & excrementa propellit, sanguinem eadem scientia, diadosi ad intestina amore reciproco remittit, intestina simili fato sanguinem ex hepate trahere norunt, & chylum ad hepar mittunt, & sanè, si nemo miratur in macrocosmo lactucam, cucumerem, absintium, tithymalim ex eadem terra diuersos adeo succos qualitatibus & substãtia omninò contrarios contrahere, betam albam & rubram eodem loco, sicut & rosas nasci, cur similia in nobis agentem naturam demiramur?

Enimuerò, vt filtra aquam ex labro deductam in terram deponunt, & in terræ parenchymate coctam & spiritibus terreis impręgnatam plãtarum inferi apices exsugunt,

ſugunt, ita omninò radices cauæ in hepate à meſeraicis depoſitum chylum & in ſanguinem verſum, in lacunã contrahunt. Vis ergo in hepate tractiua ab inteſtinis, at omnibus partibus, eadem vis congenita ab ipſo hepate ſanguinem trahere, quod ſanè mari interno microcoſmi æquiparari poſſit, à quo fontes in terræ vberibus prodeunt, venarum modo totum macrocoſmum irrigantes.

Sed ad Aſelium: qui ex Ariſtotelis authoritate abſurdum putat vnum organum pluribus finibus deſtinari, & ideo lacteas iſtas venas aſſeruit, maximè quod Galenus ex Herophili ſentẽtia videatur venas quaſdam ſimiles aſſeruiſſe: non animaduertens, Galenum eodem cap. epilogiſmo concludere, eos parũ naturæ operum gnaros eſſe, qui negant per quas venas prius ad hepar facta eſt anadoſis, per eaſdem rurſus benignum ſanguinem diadoſi recurrere: contra Herophilum eam doctrinam confirmans. *Polit. 1. cap. 1.* *Nat. fac. 4. c. 19.* *Lib. nat. fac. 4. c. 19.*

Ad argumentum verò ab abſurdo: Dico falſum eſſe vnum organum vni duntaxat fini à natura deſtinari, contra, natura nares ad olfactum compoſuit, & tamen ijs dormientes ore clauſo aërem trahunt & ſpi-

ſpiritum ducunt, præterea & ijs ad cerebri blenam euacuandam vtitur: Numquid & natura cerebri vẽtriculis abuti videtur? ſi verum eſt (quod falſiſſimum eſſe puto) in illis ſpiritus animales generari quod dicunt quidam, ſpiritum eſſe promptuaria imaginationis, memoriæ, ſicut & iudicij eſſe domicilia, quandoquidem in illis cerebri excrementa deponantur, & ex primis per medium, in poſtremum defluant, vt per infundibulum & ſolita colatoria foras vacuentur, & reuera iſtam obiectionem ſuboluerat Galenus dum docet ſtomachum in nauſeis, *contrario fungi miniſterio, vnde non eſt mirum venire ex hepate in ventrem & inteſtina nutrimentum, per eaſdem vias, per quas prius ex illis in hepar aſcenderat*.

Nat. fac. 3. c. 13.

Quæ obiectio iterum diſſoluitur à Galeno dum & aliud inconueniens Aſelj de hepatis impuritatibus per meſeraicas non vacuandis, per quas nutrimẽtum aſſumũt inteſtina deſtruit. *Natura* inquit *teste Hippocrate totum corpus purgat, redundanſquè vacuat, per eaſdem ſcilicet venas intro latis ſuperfluis, per quas antea in corpus fuere deducta: Atquè ſi vnum idemquè os, geminis quæ in contrarias partes diuerſis temporibus*

trahant

trahunt potentijs subseruiat, prius quidem ei quæ est hepatis, purgandi verò tempore ei quæ est medicamenti; Quid mirum est in his venis, quæ medium spatium inter iecur & partes circa ventrem occupant, duplex esse ministerium & vsum: ita vt cum in his abundantia fuerit alimenti, per dictas venas sursum feratur in iecur, cum autem vacua sunt nutririquè auent, per easdem ipsas ex hepate rursus trahatur.

Quibus clarissimè docemur, Galenum meseraicis venis duplex ministerium tribuisse, & vnum organum non solum duobus sed etiam pluribus finibus satisfacere, hic enim anadosis chyli & sanguinis diadosis, tum & excrementorum vacuatio & repurgatio per idem organum asseritur, nequè mirum si quod ait & vsu venit, *ab vltima etiam corporis parte, ipsa ad vsque intestina & ventriculum aliquid translatum peruenit.* Nat. fac. 3. c. 13.

Nec verò valere satis videtur eiusdem Aselij experimentum, qui canis saginati viui dissecti edulio multo saturi meseraicas venas lacteo succo, seu chylo plenas reperit citra vllum sanguinis, aut eius coloris vestigium: Quod & Galeno contigit in hædi recenter nati videre mesente-

rio:

Lib. an sang. c. 4.

rio: quippè experimentum duntaxat concludit, naturam aliquando coactam, vno duntaxat operi, quasi alterius oblitam vacare, cum enim eiusmodi animalis intestina alimento plena sint & distenta sicut ventriculus & meseraicæ, non mirum si his nullũ insit sanguinis vestigium, sed lacteæ totæ appareant, etenim cum sic saturata intestina, humore chyloso & nutritio grauata turgeant, in eo duntaxat illa laborent, vt quo premuntur onere leuentur, ad hepar ipsum prædestinato sibi ministerio propulsa materia, de sanguine ad se trahendo minimè sollicita, tum quia non egent, tum quia lassata quietem appetunt, quo tempore hepar ipsum, sociam sibique coniugem partem, quanta vi potest exonerat, cui conamini intentum, dum perpetuò validiusquè trahit, nec ab intestinis ob satietatem sollicitatur, fit profectò quod meseraicæ tunc temporis chyloso seu lacteo succo plenæ appareãt. At vero, si in ieiuno animali mesentericas examinare libuerit, non lacteo, sed sanguineo humore plenas reperies, quod docet Galenus loco supra citato in hædo adulto: Iam autem tractionis istius necessitas & aliarum partium otium in potatoribus

Docente Gal. nat. fa. 3. cap. 7. ventriculũ subtiliori parte chyli nutriri assẽtientibus Christ. à Vega th. lib. 1. cap. 11. & Ioubert. Parad. 5. dec. 2. & alijs.

tibus probatur, in quibus ſeroſa potus portio, mirando conatu, ſed vero & ſenſibili per vrinas traijcitur.

Hanc doctrinam confirmat Galenus docens, *Venter ex iecore facilè trahit, cum vehementer nutriri appetit & illud nutrimento eſt plenum, ita vt cum in inteſtinis abundantia fuerit alimenti per iam dictas venas ſurſum feratur in iecur, cum autem vacua ſunt, nutririquè auent, per eaſdem ipſas ex hepate rurſum trahatur.* Facult. nat. 3. 6. 13.

Iam ergo, ſi lacteæ ſint venæ quales aſſerit Aſelius, commonſtrare debuit vias, quibus chyli excrementa vacuantur, abſonum enim eſt lyturgiæ naturali, impurum chylum hepati committi, quippe id cauens prudens natura & prouida, ſplen ipſi tanquam alterum hepar ſuppoſuit & oppoſuit. Hinc fruſtra eſſent tot pori à ſplene per ſplenicam ad portam, fruſtra pori eiuſdem portæ ad veſiculam, & natura tot ramos à ſplenico produxiſſet canali, quod autem hæc, natura fruſtra feciſſet debuit dicere Aſelius, aut his omnibus aliud, quam Galenus & omnes medici tribuerunt miniſterium, affingere.

At verò dum Siſyphi ſaxum voluens Aſelius, antiquatum iam à multis ſæculis com-

commentum renouat, & venarum chyliferarum ministerio, quas per pancreas non per portas ad hepar traducit, anastomoses à neotericis quibusdam in hepate contra Galeni sensum confictas destruit, & chylifugis venis Riolanus valuulas adaptat, ne chylus retrocedat, neuo quod intendit Aselius hepatis excrementa sponte depulsa, aut medicamentis attracta per eas vacuentur & chylum sua labe inficiant, Nos Galeni doctrinæ insistẽtes, etiam citra Aselj cõmentum, anastomoses in hepate venarum portæ & cauæ nullas esse opinamur, perpetuo omnium penè medicorum consensu & vsu, qui hepatis gibba per renes, caua per portas & intestina vacuari asserunt, neque verò atomis & insensilibus quodámodo poris, sigmoidibus illis valuulis opus erat, ne chylus retrocederet, quoniam intestina ab hepate eum trahere non didicerunt, neque si sint, illæ impedient medicamenti trahentis actionem, si verum est (quod Riol. post Vesalium cum Galeno fatetur in corde fieri) materierum scilicet regressum per potentiores ibi sitas valuulas omninò non impediri, adeo vt, si Riolano in cholidocis poris à Laurentio cõ-

Antropo. lib.6.cap. 12.

Antrop. lib.2.cap. 12.

fictæ

ſictæ poſt Columbum valuulæ, chymericæ videntur, ſimiliter, & Laurentio in chylidocis poris à Riolano phantaſticæ habentur, ſicut & in azygota & intercoſtoli poſitæ. *Anat. lib. 9. cap. 7. & lib. 4. quæſt. 5.*

Enimuerò, Galenus ſuprà, contra hæc & ſimilia commenta, clarè demonſtrat, chylum & ſanguinem per eaſdem venas cōmeare, quinimò & ab vltimis venarum in corporis peripheria extremitatibus, humores ad inteſtina retrocedere poſſe & foras vacuari, citra prætenſas anaſtomoſes in hepate, pro quarum adſertione, quæ Laurentius adfert, hic etiam examinamus.

Is anat. lib. 4. cap. 6. & lib. 6. cap. 19. inquit, quod etiam obijcit Spigelius. *Radices tam portæ quam cauæ diſperſæ ſunt per hepatis corpus atque inter ſe confuſæ, ita tamen vt plures ſint radices portæ per cauam illius partem diſtributæ, quam per gibboſam & è contra plures cauæ per gibboſam quam per cauam*, quod ſi eſt, ſtatuendum paucas admodum apices portæ & cauæ coire, plures verò non vniri, quo ſuppoſito, peto quid agant quæ non coeunt, omnes enim ſuum miniſterium propter quod ſunt, obire neceſſe eſt, apices portæ qui in cauæ

progenies ſuperiores inſeruntur, chylum in illas deponunt, vt in inde ad cauam feratur cum in ſanguinem verſus fuerit, quæ non coeunt, vbi chylum ſuum deponent? profectò alium depoſitionis locum non habent quam ipſum hepatis corpus, at in hepatis corpore depoſitum chylum & in ſanguinem verſum ad cauam traduci oportet, quod ſi eſt, ab apicibus cauæ, quæ cum portæ radicibus non coeunt, attrahatur neceſſe eſt, quod ſi quædam id poſſunt citra anaſtomoſes, profectò & omnes id poſſe fatendum eſt.

Porrò, ſic à natura parenchyma hepatis formatum eſt, vt depoſitus in illo chylus, & diuturna mora in eo diſperſus & per minima conciſus, atque ab ipſo omni ex parte contactus in ſanguinem vertatur; citra quam accideret, ſi vel cauitatem habuiſſet, vel venæ portæ cum ijs quæ à lacuna prodeunt per anaſtomoſes prætenſas vnitæ, continuæ factæ eſſent, quod Ariſtoteles docuit dum cor venarum omniũ principium decernere voluit, contrà ſentiente Galeno, qui hepar principium radicationis omnium venarum tam portæ, quam cauæ conſtituit, etſi reuera nullum habeant principium, ſed à ſeipſis ſint,

Ariſtoteles lib. 9. de part. animal.

De vſu part. 4. cap. 13.

nec

nec cauitatem illi attribuit, nec radicibus cauæ & portæ continuitatem, ne impurus chylus non satis repurgatus, imò neque satis immutatus in lacunam transiret, celerius inquam, quam æmatoseos opus requirit.

Quam Galeni doctrinam (suæ quodammodo immemor) amplectitur quæst. 2. lib. 4. vbi inquit, *Chylus attenuatus in plexibus & radicibus portæ, rudimentum sanguinis assequutus non in colore, sed substantia & qualitate, facilè exsudat, ob acquisitam subtilitatem per tunicas venarum (sunt enim in hepate tenuiores quam in alijs corporis partibus) & fluit per totam carnem huius visceris, contactu cuius continuò rubescit: qui postea per diapedesim, aut anastomosim per cauæ radices attrahitur:* Et contra Reusnerum sic ab absurdo arguit. Existimat Reus. absurdum esse sanguinem spirituosum venis excidere, & postea in neruos subintrare, nisi duo ista corpora sint continua, at non videt Reusnerus, quod sanguis à porta transeat ad cauæ radices per medium parenchymatis & substantiæ hepatis: & contra Christophorum à Vega. Certum est chylum non rubescere, nisi contactu parenchymatis hepatis: In qua

Lib. de prob. vrinæ.

Laurent. libro 4. quæst. 5.

cõfeſſione, apparet chylũ à radicibus portæ in hepatis ipſum corpus deponi, depoſitum & immutatum, per anaſtomoſes cauæ, ſanguiſugæ modo attrahi, quod ſi eſt, patet radices cauæ & portæ anaſtomoſibus non vniri, nec continuas eſſe, quod voluit Ariſtoteles, nec eſſe poſſe, ſed mediante corpore hepatis ſociari per σύμφυσιν & communicare. Nec valet experimentum Laurentij, quo portam inſufflãdo, ait & cauam inflari, nil enim hæc inſufflatio arguit, quam vi actum aërem anaſtomoſibus apicum portæ egredi, & per hepatis corpus diffundi, ex quo cum erumpere nequeat, nil mirum ſi apicibus portæ ſe inſinuet & cauam petat, concludit hic Galenus inquiens; *Admiranda naturæ prouidentia, caua à porta ſeiuncta fuit, nec eas anaſtomoſi vniuit, ne primæ regionis culinaria colluuies, venæ cauæ ſanguinem inficeret, ſicque per vniuerſa corporis viſcera contagium promanaret.*

His ſic de anaſtomoſibus prætenſis in hepate vbi omninò neceſſariæ videbãtur deductis & explicatis, reſtat iterum diſquirendum, Num in iecore vterino, quam nõnulli placentam vocant, vbi anaſtomoſeõ par videtur eſſe, imò maior neceſſitas;

sitas, anastomoses illæ reperiantur.

Ac primò sciendum carnosiorem illam secundinæ partem, ab Arantio placentam dictam, non esse sordidam, & abiectam materiam, quod Gardino asserenti improbat doctissimus Fienus, quippe, inquit hic, est parenchymatica caro, qualis est hepatis, & reuera hepatis ministerio fungi videtur, vnde Archangelus Picholomineus scribit se certò scire, ora arteriarum matris abire seu aperiri & in eam diffūdere sanguinem & spiritum vitalem, qui postmodum, à ramis vmbilicalibus trahitur in fœtum. Arantius eam ideo vocauit iecur vterinum, quod iecoris modo, sanguinem tam venosum, quam arterialem attrahat, vt ibi magis elaboretur, relictis crassioribus partibus in eius nutrimentum, vt sic elaboratus & ab omni labe & contagio purus, attrahatur ab arterijs & venis fœtus, cum non habeat vbi excrementa crassiora deponat.

Lib. de fœtu.

De fœtus format.

In prælect. anat. sect. 9.

Et reuera arteriarum vmbilicalium pulsus per ligaturam, qua parte vtero continuæ sunt cessans, manifestè probat arterias matris & fœtus, non esse continuas anastomosi, sed duntaxat contiguas, etenim fœtus potentias à semine esse non à matris

Gal, lib. 6. de vsu part cap. vlt. & de decret, c. 6.

matris vtero perpetuò docet Galenus, eaque potissima ratio sufficit, quod fœtus propria anima vt mouetur & nutrimētum trahit, sic & viuat necesse est, quoniam congenitas illas animæ facultates simul cum semine habuit, adeo vt his omnibus anima fœtus præsto sit.

Contra quam doctrinam, pro anastomosibus pugnans Fabricius ab Aquapendente lib. de fœtu sequentia obijcit.

Lib. 7. historia animal. c. 8. Primò ex Aristotele, hæc massa carnea primis grauiditatis mensibus, multo maior est quam tempore partus, secus autem se haberet, si quod vult Arantius, & Picolominus iecoris vterini officium præstarent, quod ad corporis augmentum illam augeri necesse esset.

Secundò, verius est materni sanguinis vlteriorem depurationem in fœtus hepate peragi, quia si in ipsa fieret, excrementa in ea reperirentur.

Tertiò, arteriæ vmbilicales coniunguntur cum matris arterijs, vt ex ijs vitalem hauriant sanguinem, ergo & venæ fœtus cum matris venis similiter vniuntur, vt sanguinem venosum habeant, vnde inutilis erit illa massa.

Confirmatur, Primò quia sanguis maternus

ternus citra vllum impedimentum & sine mora, debet continuò à matre ad fœtum peruadere, nempe qui continua nutritione eget, quod perbellè fit supposita anastomosi vasorum matris & fœtus, nulla in placenta facta mora.

Secundò, quia si arteriæ vmbilicales non ἀναςομοῦνται vterinis, vnde vitalem sanguinem haurient? non enim à placenta habere poterunt, quia cum venoso in ea permixtus erit & impurus.

Tertiò, si continua nō essent anastomosi, istorum vasorum facilis esset dissolutio.

Hæ sunt Fabricij rationes, quibus negare videtur placentæ ministerium.

Ad primum, Dico non sequi quod intenditur, nam quædam fœtus partes in primo conceptu alijs multò crassiores apparent, quæ tamen postea non augentur ad aliorum minorum augmentum proportionatè, sic caput in fœtu viginti aut triginta dierum circiter, respectu aliarum corporis partium triplo crassius est, quam opus sit ad proportionem, & in nuper natis caput adeo crassum est, vt vix post annum vel minimum accrescat, cæteris corporis partibus plurimum auctis. Quin & in fœtibus primis mensibus pulmones,

corpulentiores ſunt, quam poſtremis, his enim paulatim ſiccantur & rareſcunt. At pancreas maiori mole conſpicuum eſt in nuper nato fœtu, quam in adulto: Quid referam de thimi glandulis, enchylomate illo lacunæ qua parte in fauces coarctatur fulciméto, quod primis menſibus tantæ molis in vitulis conſpicitur, vt in obſonium palato gratiſſimũ ſeligatur? quod ideo Galli *la fagoue* ἀπὸ τȣ̃ φάγειν vocaſſe videntur, per excellentiam: quod ita ſicceſſit vt vix vllum eius veſtigium procedentibus annis appareat, in quibus primis à partu menſibus & diebus magna mole ſpectabile erat.

Non igitur quod in primis conceptus diebus, in fœtibus magnæ molis eſt, id ad cæterarum partium augmentum augeri neceſſe eſt? imò contra decreſcere & obliterari poteſt, quamprimum natura harum miniſterio non indiget.

Dico 2. placentam primis conceptus menſibus maiorem eſſe quam poſtremis, quia cum primis conceptus temporibus fluores muliebres ſubſiſtant, neceſſe eſt circa vterum multum ſanguinis confluere, cum vero hoc tempore fœtus pauco admodum egeat alimento, neceſſario eam

maſſam

massam carneam incrementum capessere, quoniam illa in sui substantiam & corpus, impuriorem sanguinis partem conuertit, quo ferè modo molas generari docent medici; At verò, dum fœtus post sextum aut septimum multo eget alimento, fit sanè quod ex illa massa, prout partui vicinior est, potentius semper trahens illam exsugat, vnde illam minui oportet.

His accedit quod primis temporibus, fœtus non nisi purissimo sanguine nutritur, ipsius hepate vix aliquid ad eius perfectionem conferente, corde nihil omninò agente, quoniam cauitatibus idoneis destituitur, vnde accidit massam, siue placentam augeri & plurimum sanguinis in ea permanere, progressu vero temporis, cum & hepar officio fungitur sanguinem à placenta attrahens, & illum cordi subministrat iam cauitalibus instructo, vt arterijs omnibus, vitalis in illo factus influat, non mirum si tunc massam illam potenter fœtus exhauriat, nam etsi non adeo purus vt primis diebus trahatur, non tamen officit, quoniam per ouracum & os excrementa deponit: quod sanè voluisse videtur Aristoteles loco suprà citato, dum de cotyledonibus agens,

 inquit,

inquit, *non omni grauiditatis tempore hæc apparent, nam primis conceptus diebus exigua sanguinis portio ad fœtum aut conceptum defertur, in fine verò in fœtus nutritione totus consumitur.*

Conijciendum igitur, arterialem sanguinem, qui primis diebus defectu cauitatum in corde, per vmbilicales in iliacam & ex illa in aortam, indequè per porum arterialem ad venam arterialem, & pulmonem ad illius tum generationem, tum nutritionem ferebatur, perfectis in corde vasis & officinis, eum ex placenta promiscuè cũ venoso ad iecur fœtus attractum, ibiquè amplius purgatum, & elaboratum ad dextrum cordis ventriculum connata anastomosi deferri, & per cordis septum & Botallicum porum, in sinistrum percolari, atque ex eo non solum per aortam toto corpore distribui, sed etiam per arterialem venam pulmoni quantum opus est elargiri, otiantibus primis poris, pulmoni generando à natura constitutis; Quippe si pori isti in lucem edito fœtu relicti, etiam aliquot mensibus otiantur, si etiam post multos annos, in suspenso cadauere illos reperit otiosos Riolanus Parisiensis Professor nunc viuens, & quon-

Anthrop. lib.6.cap. 8,

dam

dam præceptor meus, anatomista regius, cur in vtero idem non fiat? Porrò si pulmonis duntaxat causa hi pori ab aorta ad venam arterialem, & à caua anastomosis ad venam arterialem facta est, quod deesset pulmoni cum caua & aorta communio defectu cauitatum in corde, profectò illis cauitatibus & officialibus instrumentis ritè adornatis, & eas cauitates, & earum anastomoses suo officio fungi propter quod à natura factæ sunt, consentaneum est naturæ, quæ nihil facit frustra, similiter & illas quæ ministerij sui prædestinata fata expleruntt: otiari, & tandem obliterari, natura enim partes, quibus non indiget sicut docet Galenus negligit: Qua naturæ œconomia cauetur, quod aliter absonum occurrit, ne aorta vno eodemque tempore ad extremas omnes corporis partes vitalem sanguinem mittat, & ab extremis per anastomoses terminales contrahat contrarijs motibus, tum ne purus, & ad summum elaboratus, à cordis sinistro ventriculo translatus in aortam sanguis vitalis, impuro permisceatur, ei qui per iliacam à placẽta & matris vtero in illam tranferretur, quod Simoni Petræo professori regio primario, quon-

De vsu part. 6.

quondam etiam præceptori meo, obijcit Laurentius, exercitatione secunda, nec tales contrarios motus esse posse contendit, quippe & hic consentit Galeni dogma, quo asserit arterias vitali & subtili sanguine plenas à venis crassiorem sanguinem trahere non posse, *quoniam inquit leuioribus impleta sunt*.

Anat. lib. 8. quæst. 25.

Nat. facult. 3. cap. 14.

Hinc non omninò videri possit Spygelij ratio absurda, ita vt responsionem non mereatur Riolano, qui perfectis in corde instrumentis, negat per iliacas, ad aortam fieri ex placenta confluuium, sed contra potius, ab aorta per iliacas ad placentam aliquid feruidioris subtiliorisque sanguinis deferri, vt quo calore vitali & penetrante potens est, iecori vterino auxilietur, sanguinemque ibi tam arterialem, quam venalem promiscue stagnantem incidat & tenuet, vt forte si quid impurius transierit, noua circulatione elaboretur, relicta impuriore in placenta parte, vel si hoc non fit, vmbilicalium arteriarum ad iliacas, anastomoses otiari censendum est.

Ad secundum, Dico hepar fœtus secundo sanguinem depurare, excrementa verò in sanguine materno ad placentam delato, pauca esse, nec multa & crassa, ita

vt impurior eius pars primis mensibus, in eius augmentum concedat, quod fatetur ipse Fabricius, quo tempore fœtus pauco vt dictum est, sed purissimo eget alimento.

Ad tertium, Dico falsum esse antecedens, sicut & consequentiam, quod probat Galenus, quando ligatura interceptis vmbilicalibus arterijs, qua parte matricem tangunt non pulsant, quas etiam pulsare necesse esset, si continuæ essent motu ab arterijs maternis communicato, vnde sic Riolanus. *Verissimum est arterias matricis non habere tot ramos, quot in placenta reperiuntur, quodque hæc vasa ad matricis fundum non pertingant, qua parte illis placenta adhæret, quoniam eorum substantia & natura, omninò ab vteri corpore diuersa est, & ideo sanguis tum arteriosus, tum venosus, matris effunditur per totam vteri substantiam, ramusculis ad id à natura comparatis, vnde manifestum fit venas & arterias vmbilicales, non vniri anastomosibus cum arterijs vteri, quodque illæ non trahant ab his singulis singulæ suum sanguinem, sed quod hauriant illum ex placenta, in qua confusus est cum arteriali venosus.*

De vsu part. lib. 6. c. vlt.

Anthrop. lib. 6. cap. 8.

Ad probationes; Dico placentam non impedire, quo minus alimentum conti-

nuo

nuo & ſine mora ad fœtum feratur, ſicuti in nobis, iecur non impedit continuum alimenti à meſeraicis ad cauam & omnes corporis partes confluuium, etſi chylus vt dictum eſt, per hepatis ipſius parenchyma diffundatur, antequam à caua attrahatur, imò ſic melius fit in placenta, quam ſi anaſtomoſi vnirentur prædicta vaſa, quia ſicut nobis in iecore moram trahens perficitur ſanguis & elaboratur, & depuratur, qui datis anaſtomoſibus impurus celerius quam par ſit pertranſiſſet, pariter & in placenta materno ſanguini accidit, ex qua arteriæ & venæ vmbilicales, congeneum ſanguinem prædeſtinata ſcientia, hæ venoſum illæ arterialem trahere norunt, ea inquam poteſtate & ſcientia, qua quod familiare ſibi eſt & vtile trahunt, & peregrinum reſpuunt, toties ab Hipp. & Galeno proclamata doctrina. Quod ſi continuæ fuiſſent, ſolutionis periculum facilè incurriſſent, à quo incommodo & periculo ſe tuētur, dum placentæ corpore vt communi parenchymate conſociantur.

Sed contra eam quam poſuimus de vteri anaſtomoſibus pro Arantio doctrinam, Laurentius ſequutus Fabricium eas

om-

omninò necessarias asserit. &

Primò, negat viuente matre posse ligari vasa vmbilicalia nisi vterus aperiatur, quo casu vanum erit Galeni experimentum, tunc enim fœtus adspiraret; & eo modo se haberet atque à partu;

Verum huic obiectioni satisfacit Riolanus, qui ouis prægnantis viuæ vtero aperto, ligatis vmbilicalibus vasis fœtus naribus & ore compresso, arterias moueri prout Galenus asseruit, expertus est. At verò præter hæc cordis pulli in ouo pulsus absente matre trãs membranam in conspicuo est, quod testatur se vidisse Aristoteles in oui conceptu trium dierum, vbi cor puncti sanguinei crassitiem non superaret, nihil autem hic vteri aut matris cooperatur pulsifica virtus. Hinc Galenus asserit fœtus potentias à semine esse, non a matris vtero, vnde Praxagoræ opinio non improbanda videtur, qui pulsatilem facultatem arterijs, vt cordi innatam asserebat, quippe certum est & illas antequam cor formatum perfectè esset pulsasse, nempe antequam illud cauitates haberet ad pulsandum necessarias, hæ perfectæ erant, idipsum docente Aristotele L. de spiritu cap. 4. qua de causa illas nec à corde

Anthrop. lib. 8.

Lib. 3. de part. animal. c. 4.

De vsu part. 15. cap.

corde oriri, ſicuti nec venas ab hepate dici poteſt, ſed potius cor pulmonem & iecur ab illis exordium habuiſſe conſentaneum eſt, ſunt enim parenchymata, ex ſanguine coagulato anaſtomoſibus apicalibus exſudante genita, quomodo fere in arboribus reſinæ, vel fungorum materiæ per poros ſêſim elapſæ, ramuſculis adnaſcuntur, vel plantis & floribus βρύα adnatæ lanugines, vnde forte ἐμβρύον. Coniiciendum enim eſt, partes omnes ſpermaticas primo ſtatim die à conceptu prolifico adornari, inter quas venæ & arteriæ primas omnium ſuam configurationem habere neceſſe eſt, quoniam per illas paucis à conceptu diebus ſanguinem ab vtero trahi oportet, conſumpto ante ſpirituoſo, quod ſimul cum & in ſemine aduenerat alimento, & quoniam partes ſolidæ in conceptu quæ nutriantur nondum diſtinctæ ſunt & corporeæ, officiales primò formari perfectè oportuit, quarum miniſterio illarum, ſicut & cæterarum partium alimentum præpararetur, quo & nutriantur & augeantur, hinc primò per ἀπόχυσιν locis ſuis, pulmonis, hepatis, cordis, ſplenis & renum περιχύματα vel vt Eraſiſtratus docet παρεγχύματα fiunt, quo in opere vena-

venarum οἱ πόροι διαχέονται. Si ergo arteriæ ante cordis perfectionem & motum pulsarunt, Galeni experimentum non satis destruit Praxagoræ doctrinam, nam etsi adductis hinc inde super fistulam intromissam arteriæ sectæ labijs, ita vt sanguis vitalis ad sectæ arteriæ scissam parté peruadat, pars scissa non pulset, sed ea duntaxat quæ cordi vnitur, & continua est, nihil aliud experimentum concludit, quã arterias non moueri per sanguinis influentis impulsum, quod cum Erasistrato existimauit Aristoteles, sed per spiritus insitos simul cum semine delatos, eorum substantijs à primordijs inhærentes, quos in conceptu nondum suas extensiones & cõfigurationes habente pulsare docet Hippocrates, & Aristoteles id se vidisse testatur vt iam dictum est. Quod autem non pulsent est continui solutio, quippe continuitas secundum philosophum causa est cur totum mouetur mota parte, Spiritus autem ille insitus, proximum animæ omnia mouentis instrumentum, cum vno momento, tanquam radio cor & arterias per omnes partes à summo ad extremas moueat, non mirum si motus ibi finitur & terminatur, vbi continui solutio est,

Lib. princep.

Hist. animal. 3. & 4. & de part. animal. 3. c. 4.

quod

quod & accidit in vmbilicalibus poris facta ligatura, etiam corde nondum perfecto. Quibus reuera docemur principium motus arteriarum maxime è regione cordis vigere & has potentias motrices à semine esse, non ab vtero.

Iam vero experimentum Galeni à Laurentio improbatum rectè concludit, quippe si anastomoses sunt inter arterias matris & fœtus, & vis pulsifica per eas anastomoses à matris corde communicatur, perpetuò verum erit ligatis vmbilicalibus arterijs eas quæ à parte vteri sunt, vel pulsare, vel motus principium à matre non esse, quippe viuente matre ista fieri in partu Cæsareo facilimè possunt, & in brutis secto vtero & viuente matre experiri.

Enimuerò, si à matris corde vis illa & facultas vitalis pulsifica, non solum arterijs fœtus, sed & cordi ipsius, quod contendit Laurentius accederet, fœtus certè propria vita non viueret, sed aliena, non enim quod Stoici putabant fœtus est pars matris. Quæ cogitans D. Thomas, concludit fœtum propria viuere anima, quia (inquit) non esset animal per se, nec haberet propriam formam, at habet propriam qua omnes vitæ operationes exercet,

Plutarch. de plac. lib. 5. cap. 15. Contra gentes c. 8. 9.

cet, non solùm auctricem & nutricem, sed etiam motrices quæ cum animalis virtutis actiones sint, à matre illas habere non potest, hic enim deficiunt anastomoses quibus nerui matris cũ fœtus neruis vniantur, & nolente matre imò etiam quiescente fœtus diuersimodè mouetur, *siquidem fœtibus à semine non ab vtero, facultatum ipsos administrantium est origo*. Quibus fundamentis Fienus conformatricem potentiam principio interno vitali fœtus addixit, nempè animæ rationali embryonem iam informanti, omnis actionis vitalis principio. *Gal. 6. de plac. cap. 6.* *Li. de fœtus for.*

Nos verò & post mortem matris, etiam longo satis interuallo, fœtus ex vtero viuos extraximus, & superstites manserunt, quos à matris morte nondum secto vtero propria vita vixisse certum est. Nec valet quod hic regerit Laurentius, facultatem vitalem per arterias fœtus à matre dispersam seipsa ad aliquod tempus conseruari, quia si facultas illa vitalis sit à principio vitæ, & ab anima matris irradiatione per arterias vt dictum est agens, ilico separata anima & irradiationem & motum simul cum vita in instãti perire necesse est, quod si motiones quædam conspiciuntur,

in mortui animantis corpore, vt in capite abſciſſo ſaltitante, os aperiente, oculos rotante, ſicut & in corde de pectore auulſo & in ignem coniecto, ter aut quater ab igne ſubſultante, & reſiliente, tales ſanè motus ab anima non ſunt, nec animæ operantis vitales actiones dici poſſunt, niſi vel è cœlo, quod ipſummet non habet, vel è Platonis ſeminario à formarum archeo ſubitò aliqua vegetoſenſitiua Gardini aut alterius ſpeciei anima mittatur, quæ animæ rationalis locum ad tempus occupet, vel ſanè, quod velle videtur Laurentius, dicendum inſtrumenta ab anima ſeparata agere poſſe eo modo quo coniuncta, quæ opinio falſiſſima eſt eorum, qui cõtra Fienum illa ſeparata in virtute formæ abſentis vitaliter agere poſſe voluerunt, opinati potentias animæ ab anima ſeparabiles, contra receptam ab Ariſtotele doctrinam, qua docet facultates animæ, cum ſint eius proprietates ab eius eſſentia propria emanantes, inſeparabiles eſſe qualitates & illas citra illius præſentiam agere non poſſe, nam dicere ſpiritus & calidum innatum animæ operantis proxima inſtrumenta illa abſente vitæ fonte, tanquam præſente, vitales eaſque nobiliſſimas operati-

2. de gen. animal. cap. 3.

rationes exercere & perficere, vt facilè dicitur sic & leuiter asseritur, quod non minus solidè quam acutè, contra Sanctacrucium demonstrauit Fienus. Apol. 2. pro for. foetus.

Ex quibus docemur non esse verum, quod ait Gardinus quæstione prima de animatione fœtus, *calorem natiuum & spiritus vitales matris per cotyledones ad funiculum propagationes ex matre ad fœtum deferri viuificandi illius gratia.* Falsum enim est quod pro vero supponit quæst. tertia. *Massa prolifica fundi vteri venis & arterijs per pediculum quendam* (sunt vasa vmbilicalia) *ex illa massa & materno sanguine genitum agglutinatur quemadmodum pyra, poma, cerasa, per pediculum siue per caudam ramis suæ arboris adhærescunt*: inuerso etenim modo hæc se habent, quippe pediculus fœtus siue conceptus, docente Galeno est pars fœtus, non vteri aut matris, sicuti nec fœtus pars matris est, pedicu-lus pomi & pyri pars arboris est sicut & pyrum ipsum & pomum, ergo pediculus conceptus est tanquam radix seminis se conformantis & adornantis propria vita & anima viuentis in terram implantata, quæ terræ pars in quam implantatur nullo modo est.

Pag. 79. De plac. 5. cap. 15.

Neque verò quod ait postea audacius omnibus, qui anastomoses hic constituunt, *pediculus ille à matrice ortum habens trans secũdinam fertur vsque ad locum vmbilici fœtus futuri*, sed contra vt dictum est ab vmbilico ad fundum vteri: sicut radices seminum aut stolonum in matricem terram: quas omnes falsitates & absurditates securè admodum declarauit in amplissimo Doctorum Duacensium consessu, quod ignorarit placentæ siue iecoris vterini dignitatem & officium, hinc massam illam naturæ arcanum sibi ignotum turpissimis elogijs dedecorat, appellans *naturæ recrementum, quod in vtero nisi vice sacci aut sentinæ functum est, inutilem flammis aut latrinis demandandam massam, vilem, crassam, carneam membranam, molæ non excellentiorem*, ita reuerendam & præcipuè à medico in operibus arcanis naturam studio contradicendi Fieno, fœdissime deturpauit. Nec mirum Gardinum in abdita generationis liturgia lapsum esse; qui in crassa adeo & obuia materia cæcutiuit; & si per se subsistentem formam quam ipse restitutam à se gloriatur aduersarij sui prostratione & morte adeo impotentem esse voluerit, vt brutam quæ citra mate-

Quæst. 3. de animat. fœt. pag 81.

Orat. 1. quod pag. 14.

materiam ſuſtentari nequit, maioribus poteſtatibus, iiſque magis actiuis condecorarit, contra Hippocraticam doctrinam, duabus aut tribus ab inconuenienti quæſtiunculis irretitus, impotentem inquam adeo eſſe voluit vt qua excellunt plantarum & brutorum confirmante ſibi ſuum domicilium poteſtate, eam animæ rationali deneget atque ideo in cōceptum prolificum à Deo non infundi antequam corpus ſit organizatum, cum interim abſurdo commento, animam ſenſitiuam à progenitore primo ſtatim conceptionis momento infundi aut induci aſſerit, quod & de brutorum conceptu expreſsè intelligit, & quidem de brutorum conceptu aliquo modo rectè opinatus eſt, quoniam primo ſtatim à conceptu, imò & ante in ſemine ineſt anima eiuſdem ſpeciei à quo deciſa eſt propria, non vniuerſalis ſenſitiua Gardini, quæ nuſquam per ſe ſubſiſtit niſi in indiuiduis, vel in idea Platonis, rectiuſque ſenſiſset infinitis difficultatibus ſe liberans, ſi plantarum & brutorum ſemina animata in debitas matrices à mare plantari intellexiſset, ideæ Hippocraticæ conformiter, quod & ſenſit Ariſtoteles, & clare apud Plutarchum declarauit Epicurus

Quæſt. 1. de animat. fœtus pag. 16. 35 & 39. & alibi paſſim.

2. de generat. animal. cap. 1. & 2.

curus semina esse ψυχῆς καὶ σώματος ἀποσπάσματα, proprijs, inquam, formis indiuidualibus nobilia naturæ arcana, non tertiæ coctionis, quod aiunt, excrementa, sed totius microcosmi admiranda compēdia, nunquid scriptura docet brutorum animas in sanguine esse? cur ergo cum nobilissimo semine traduces non sint? Etsi quod voluit Aristoteles ὡς διαφέρουσι τιμιότητι καὶ ἀτιμίᾳ αἱ ψυχαὶ ἀλλήλων, οὕτω καὶ ταύτῃ διαφέρει φύσις, statuendum, nobiliores substantias, seminibus & conceptibus prolificis coæuas, non alias quam proprias sibique à summo moderatore proportionatas à prima origine formas concipere.

3. de gen. animal. cap. 3.

Si ergò propria cuiusque seminis indiuidualis tradux anima & forma, suum sibi domicilium architectari potens est, prout post Themistium, Zabarellam Scaligerum & plurimos alios docuit Fienus, cur eam cōformandi sibi suum corpus potētiam animæ rationali brutâ sapientiori & potētiori denegabimus? quippe sēsitiua illa quam à genitore induci contēdit Gardinus, vnde veniat dicere non potest, nisi deforis forte è Platonis seminario, quoniam sensitiua in homine virtus est duntaxat à rationali profluens ab ea non nisi

De fac. animæ c. 11.
Exercit. 6. sec. 5.

ra-

ratione distincta, cum nihil sit aliud quam rationalis anima sentiens, sed his in aliud tempus dimissis ad Laurẽtium redeamus, & quæ pro anastomosibus afferat examinemus. Hæc autem sunt argumenta.

Primò, si cor fœtus mouetur, pulsat & generat spiritus vitales, ergo respirat, quia ad generationem spiritus vitalis concurrit inspiratus aër tanquam materia, at non respirat, quia in fœtu pulmo non mouetur, nec thorax, quorum motus ad inspirationem necessarius est: ergo deerit ipsi materia sine qua non potest generare spiritus vitales.

Dico primò, motum cordis non pendere à motu pulmonis, sicut nec cerebrum, quippe immoto pulmone & thorace mouetur cor & pulsat.

Dico 2. aërem externum non concurrere ad generationem spiritus vitalis tanquam materiam, aut substantiam ex qua & quæ transubstantiatur, sed concurrere qualitate potius quam conuersione substantiæ, sicut docet Galenus pluribus locis, nempe ad sanguinis arterialis & calidi innati ventilationem, neque enim in nobis aëris substantia ad cor penetrare potest, quippe à trachea arteria qua pul- *L. de vsu res. cap. 3. & 4.*

mones aërem trahunt, nulla est ad cordis ventriculos via, idem verò Galenus cordi ad ventilationem transpirationem sufficere asserit, cum enim fœtus humidis aquis innatet, & mitissimus eius calor innatus in multo & potente humido foueatur, sufficit ad ventilabrum transpiratio, sic piscibus ob prædictas causas sine respiratione cor mouetur, & quædam animalia etiam ad aliquot menses sine cibo & potu viuunt. Vnde eo loco Galenus conclusit *non modo in perfectis animalibus, sed etiam in fœtibus euidenter apparet arterijs vim illam qua ipsæ mouentur cor ipsum suppeditare*. Hinc clarè apparet falsas esse Laurentij hypotheses lib. octaui quæstione 27. *In fœtu cor non mouetur facultate illi propria & intrinseca*. & illa

Gal. de vsu part. cap. 10 & 21. lib. 16

Lib. de vsu part. cap. 12.

Spiritus vitalis generatur ex permixtione aëris & sanguinis vitalis.

Arguit secundo: Cor non generat spiritus vitales nec sanguinem arterialem, quia deest illi materia, nempe sanguis in dextro cordis ventriculo præparatus proxima sanguinis arterialis & vitalis materia, quia nulla est via, qua possit in sinistrum cordis ventriculum peruadere, caua enim ad arteriam venosam per propriam ana-

anaſtomoſim ſanguinem traſmittit, quem pulmoni miniſtrat.

Reſp. hæc ita ſe habere in fœtu, dum cor officinis idoneis nondum eſt inſtructum, & plantarum modo viuit ſicuti docet Galenus, at corde perfecto rem aliter ſe habere vt ante in reſolutione ad Fabricij obiectiones dictum eſt, otiantibus & cõniuentibus anaſtomoſi lacunæ ad arteriam venalem & poro arteriali ad venam arterialem, & viciſſim agentibus cordis ventriculis per anaſtomoſes proprias ad venam arterialem, & arteriam venalem, ad cauam & aortam, vnde Galenus ipſemet ſic diſtinxit. *Quamprimum cor fœtus vẽtriculis adornatum eſt, & ſanguinem tam venoſum quam arterioſum recepit, pulſat & mouet ſimul congenitas arterias, ita vt tunc fœtus non vt planta, ſed vt animal viuat.* *Lib. de format. fœt.* *De format. fœt. cap. 9.*

Neque vero ſi quod agitat Laurentius ipſe contra Simonem Petreum, ſanguis per anaſtomoſim ex lacuna ad arteriam venoſam tractus in ſiniſtrum cordis ventriculum refluere non poſſit, ad vitalis ſanguinis generationem propterea per ſepti ordinarios poros permeare non poterit, quia in fœtu, laxiora ſunt, quam in adultis, neque etiam opus eſt anaſtomoſes cõ- *Exercitat. 2.*

fingere,

ſingere, arteriæ venoſæ, & venæ arterioſæ in pulmone vt id conſequamur, quod contra Galeni perpetuum dogma de peruio cordis ſepto, voluit Columbus & diſcipulus eius Valuerda & hos ſequutus Spygelius quod lib. 6. cap. 7. de vſu partium legiſſent in verſione latina, vaſa iſta mutuis inter ſe orificijs aperiri, quaſi anaſtomoſi vnirentur, licet textus græcus ſignificet ſolũmodo extremitates horum vaſorum contiguas ex aduerſo apicalibus oſtiolis adaperiri, ἀναςομωσάσης τε πρός ἄλληλα τὰ γειτ νειῶν τὰ ἀυѕῶν πέρατα, non continuitate inquam ſed cõtiguitate viciniæ.

Ex quibus iure concludere poſſum falſas iterum eſſe has Laurentij hypotheſes, quæſt 26. libri 8. anat. *Fœtus non eget corde, quoniam functiones vitales exercet, citra huius partis miniſterium.* & illa *Fœtus cor non mouetur, quia non generat ſpiritus vitales.*

Replicat, ſi generatur ſpiritus vitalis in cordis ventriculo ſiniſtro, & per aortam toti corpori miniſtratur, ad quid porus arterialis? ad quid anaſtomoſes vmbilicalium in iliacas vt ſanguis arterialis ad aortam perueniat? an vt duplex naturæ ſanguis vitalis à corde fœtus deſcendens, &

ab

ab vtero aſcendens commiſceatur, purus cum impuro, vt contrarijs motibus in aorta fiat etiam conculcatio?

Iam ſi cor fœtus diaſtole mouetur ad attrahendum, & ſiſtole neceſſario ſubſequetur ad fuliginis & excrementa depellendum, at non habet quo, nec qua id faciat, interim maternus ſanguis non ita purus eſt, quin cordis motu neceſſe non ſit puriorem fieri, atque ideo excrementa ſeparari, ne maſſam ſanguinis vitalis in aorta ſua labe inficiat.

Reſp porum arterialem & anaſtomoſim lacunæ ad arteriam venalem otiari, vt in reſponſione ſupra ad Fabricium, ſicut & anaſtomoſes vmbilicalium arteriarum ad iliacas fœtus, vel cõmento Spigelij arterialis ſanguinis partem feruidiorem per has in placentam iterum peruenire, & rurſum purgari; ſanguinem maternum puriſſimum in placenta puriorẽ reddi, in ipſius hepate iterum elaborari, & repurgari, ita vt cum ad ſiniſtrum cordis ventrem peruenerit, pauci admodum ſit excrementi, halitus eius ſuperfluos per arteriam venalem in pulmonem protruſos in humorem coagulari & per os fœtus cum alijs excrementis & ſudoribus in fœtus inuo-

lucris

lucris recondi.

Ex quibus sic solutis, constat falsas esse sequentes Laurentij hypotheses Cap. 7. lib. 8. suæ anat. *In fœtu caua non transmittit sanguinem in dextrum cordis ventriculum vt ibi elaboretur & præparetur, quia cor spiritus vitalis non generat.* & illa *Arteria magna non recipit à corde fœtus spiritum vitalem sed ab arterijs vmbilicalibus.* & illa *Fœtus non generat spiritus vitales quia illos à matre haurit.*

Quæ cum sint rationi & experientiæ consona & à Galeno confirmata, iure meritò & in hepate prætensas portæ & cauæ anastomoses, sicut & vmbilicalium fœtus cum maternis vasis in placenta nullas esse concludo. Quibus irretitus Gardinus, *Non intelligo* inquit *per anastomoses, quod Amatus, quod Hollerius, Fallopius, Laurentius, Gordonius* & alij qui de his egerunt, venularum capillarium extremitates, aut apices iungentes oribus ora, aut apices in alterius occurrentis osculum se insinuantes. *Sed intelligo* inquit *venarum coalitiones, coitiones, duorum tuborum in vnum ferruminationes, ora duorum in vnum coagmentationes, quales ferruminationes, dedi epigastricæ*

Gard. orat. 4.

gaſtricæ aſcendenti cum mamillari deſcendenti, ſicut finxit & pinxit in ſchemate orat. 4. figura 2. *His anaſtomoſibus* inquit *& ferruminationibus affinis eſt etiam rami azygotæ ex ipſiſsima azygota in lumbos ad ipſum truncum magnum deſcendentes inſertio, affinis itidem & ex eadem azygota rami alterius inſertio, nunc in emulgentem ſiniſtram nunc paulo ſupra*, Ad quæ,

Dico 1. nos ſupra demonſtraſſe venas per coitionem anaſtomoſi iungi & continuas fieri docente Galeno, *coeuntibus inter ſe illis, ac quæ coitu factæ ſunt rurſus diuiſis, hinc rurſum concurrentibus* illas fieri, quæ coitiones ferruminationes dici non poſſunt, quia ferruminatio propriè dicitur *διὰ σιδήρου ἢ ἄλλου μεταλλικοῦ κόλλησις*, de duobus coniunctis diuerſo intermedio, quod venarum coitioni per anaſtomoſis vnionem non accidit, at in hepate & iecore vterino ſiue placenta vaſa vmbilicalia & matris, ſicut cauæ & portæ apices, rectè *συμφύεσθαι* & ferruminari dixeris, placenta & hepate vaſa iſta ſociantibus. Vnde ferrumen eſt aſſeribus cola, calx lapidibus, & rectè Budeus ferruminationem vertit *σύμφυσιν* qua medicis oſſa triplici medio vniuntur, cartilaginibus per

Gal. lib. de venar. diſſ. c. 9.

συγ-

συγχόνδρωσιν, neruis per συννεύρωσιν, carne συσσάρκωσιν, at venæ quæ anastomosi vniuntur mutua, nullo medio sed seipsis connatæ sunt.

Dico 2. has venarum sibi occurrentium per ferruminationem anastomoses nullas esse, neque admittendas, *nam quis credat?* inquit Gardinus, *nisi qui sæpius se vidisse affirmant?* ego non facile, etsi quidam affirment, quia Galenus illas negare videtur cum præstantissimis anatomistis.

Orat. 4.

Secundò, quia finis coïtionis Galeni non conuenit his ferruminationibus, quia ille ex maiori tubo descendente duos faciens minores, rursus illos anastomose cōgenita iungit, quos rursum diuidit & rursus vnit cum alijs à latere descendentibus, vt in longo adeo tractu ista coitione vasa debilia ex se firmarentur, sicut ad oculum videri potest, in figuræ primæ brachijs & cruribus, Gardinus contra apicales siue capillares ramusculos coire facit, quo loco firmamento nullo opus habent, nam illarum quædam in glandulas terminari, ibique firmari asserit Galenus, sicuti cæteræ in partibus quibus inseruiunt.

Tertiò, harum anastomoseon assertores de coitionis loco non conueniunt, quidam

in emulgentes eas inſerunt, quidam paulo ſupra in lacunæ truncum maiorem, Fallopius ex caua iuxta lumbos ſoboles deducit, quas ramis azygotæ anaſtomoſi iungit apicali, contra Galeni doctrinam *vena* inquit, *quæ inferiores coſtas alit ad ſeptum tranſuerſum finitur*, vnde infert contra Eraſiſtratum pus per eas venas in pleuriticis ad loca ſepto inferiora peruenire non poſſe, & Laurentius Fallopij commenta irridens, Galeno adhæret & inſertionem rami azygotæ in adipoſam & emulgentes vt auias à veritate vias nihili facit, ita vt infidæ videri poſſint tales affirmantium ſe hoc aut illud vidiſſe animaduerſiones, vt verius dixerint *aut vidi, aut quia me vidiſſe putaui*. De loc. affect. lib. 5. cap. 3. Lib. 9. anat. quæſt 12.

Quartò, finis duplex ob quem conſtituitur fruſtraneus eſt, primus nimirum vt venæ ſectione, humor aut ſanguis extrauaſatus, à parte phlegmone occupata, aut phlegmone ipſo euacuetur, quoniam adeo tenues pori ijque atomi ad eiuſmodi euacuationem impotentes ſunt, ſicut enim poſtea dicemus, ſanguis extrauaſatus & venis abdicatus in eas nullo modo remeare poteſt, quoniam ilico fit alienus & craſſeſcit & coagulatur, poſt Galenum ſic ſen- Parad. 3. dec. 1.

tiente

tiente Iouberto, & consentiente Sennerto, etsi ocultos meatus videatur aliquomodo concedere, sic enim. *Duplicis inquit rectitudinis apud authores fit mentio, vnius quam naturæ rectitudinem appellant, quæ dextra dextris, & sinistra sinistris respondent, quæ fit per occultos meatus quosdam, seu venas eiusdem lateris ascendentes & descendentes, alterius quæ fit per manifestas venarum ductus: Verum rectitudo illa naturæ etsi neganda non sit, & necessaria sit in alijs remedijs reuellentibus, tamen in venæ sectione locum habere non potest, per angustos enim & occultos meatus sanguis reuelli non potest, Rectus igitur venarum tractus & ductus, & manifestus venarum consensus est obseruandus.*

Inst. lib. 5. cap. 8.

Secundus similiter frustra causatur, nempe vt viam qua pus empyicorum per vrinas traducitur, commonstrent, quam Galenus contra Erasistratum naturæ facillimam ostendit, sicut & vteri cum mamillis consensum, quippe puris per pleuram transfusionem in thoracis capacitatem docet, tum per pulmonis arterias exsugtionem, ex illis per arteriam venalem in sinistrum cordis ventriculum delationem, ex quo per aortam emulgentes petit

tit arterias, & renes, ex his per vreteres in vesicam & foras propellitur, qualiter & vacuatur eiusdem aortæ opera, arteriarum intestinalium & præcipuæ cœliacæ ministerio abusa, & spermaticarum vt per vterum vacuetur, quod docuit Aretheus lib. de sig. diutur. morb. cap. 9. & de causis puls. lib. 1. Riolanus consentiens Laurentio fatetur azygotæ insertionem in cauam si quandoque reperiatur, per eam pus empyicorum non posse vacuari, *crederem potius*, inquit, *cum ramulum infra emulgentem in cauam insertum à natura factum, vt qui in azygota nimius est sanguis in cauam vacuetur*, sed ista ad cuiusque fingentis libitum explicantur.

Lib. de venar. & art. diss. cap. 9.

Anthrop. lib. 3. cap. 8.

Quæ perpendens Laurentius ex Galeni iudicio difficillimum esse iudicās, pus crassum & viscosum venarum tunicas permeare, *cur*, inquit, *adeo auias & insensibiles vias quærimus, queîs pus empyicorum per vrinas deferamus, quandoquidem manifestas habeamus, quas nobis Galenus demonstrauit?* de his expressè contra Erasistratum disputans, & sanè ante Galenum Diocles arterias eiusmodi ministerio destinauit.

Anat. lib. 9. quæst. 12.

At Riolanus dubitat, rectè ne sense-

Anthrop. cap. 11. lib. 3.

 rit

fit Galenus, pus empyicorum ex pulmone per arteriam venosam in sinistrum cordis ventriculum deriuari & ex eo per aortam & varias ab ea enatas arterias in vesicam vterum & intestina, quod longa sit via & impedita, tum quod necesse sit fieri commixtionem puris cum sanguine arteriali spirituoso. Accedit naturam sagacem & prouidam à partibus principibus qualis est cor, eiusmodi impuritates & sordities reijcere, vias conuenientes ordinare. Quas obiectiones cum fuboluisset Laurentius.

Anat. lib. 9. quæst. 12. Respondet vacuationũ aliam esse criticã aliam symptomaticam, illa dum fit præualente natura & robusta deuicta materia, viribus constantibus, potest per eas vias fieri citra vllum ægroti periculum, natura impuritates illas deuictas à vitalibus succis separante; Addo arterias quo motu pulsationis valent in ijs secernendis plurimum posse, quod si venis hanc secernendi per crises potentiam, quæ motu carent concedunt, arterijs sanè quæ potentiores sunt, quis denegabit? Si contra vires debiles fuerint & symptomatica fuerit impulsio sine dubio, suffocationis periculum impendebit.

Anthrop. lib. 3. cap. 18. Miror hic Riolanum periculosam puris

ris cum sanguine vitali permixtionem Galeni dogmati obiecisse, qui docet cum cæteris Gallis perpetuò eiusdem lateris in pleuritide venam esse secandam, quia tali sectione putrem ab affecto loco materiam euacuari contendunt, per originales anastomoses vt Fuccius & Fernelius, & in κατ' ἴξιν Hip. interti, aut terminales vt anastomoseon adsertores, quod & ipse docet eodē l. 3. cap. 8. *per has anastomoses*, inquit, *materia coniuncta in pleuritide euacuatur*; quod si est, certè hæc vacuatio citra puris in venas deductionem & cum bono sanguine permixtionem fieri nullo modo potest; atqui si hanc permixtionem puris nondum perfectè edomiti cum probo sanguine perfusionem & in venas deductionem non timent, profecto conamini naturæ victricis multo magis fidendum, dum perfectè edomitam materiam per positas à Galeno conuenientes vias euacuat.

Hāc puris è corde per arterias in vesicā depositionem duobus experimentis cōfirmat Laurentius, Primum est Hollerij.

Mulieri cuidā intolerabili cruciatu vrina purulēta profluebat, mortua post quartum mensem & dissecta, duo calculi in corde cum multis abscessibus paruis in- *De morb. int. lib. 1. cap. 50.*

 uenti

uenti renibus integris & vijs vrinæ, purulenta illa putredo sic per aortam purgabatur.

Alterum est experimentum cuius ipse oculatus testis. Ciuis quidam Montipessulanus melãcholia hypochondriaca, easque grauissima afflictus, superueniente acuta febre, mortuus est, hic mense vno ante mortem, bis in die sincope leuiori tenebatur: quæ ardore vrinæ aliquali, cum meiendi extremo desiderio, terminabatur, vrinam mittebat, intense rubram & fœtidam, hinc à sincope liber, corpore aperto totam thoracis capacitatem humore quodam fluido & fœtidissimo plenam vidimus, sinister cordis ventriculus eodem plenus comparuit, quo viso ostendi sincopis causam, fuisse illius materiæ per cordis ventriculum transitum, sicuti & stranguriæ dum à corde per arterias in emulgentes & renes & ex his in vesicam & foras ferebatur, quo experimento Galeni sententiam de puris empycorum euacuatione per vrinas præsentibus multis medicis & chyrurgis confirmaui.

At verò, contra hanc Galeni doctrinam facere videtur communio illa, qua sanguinem & lac à mamillis ad vterum mu-

tuo

tuo refluxu commeare aſſerunt, per mamillaris deſcendentis & epigaſtricæ aſcendentis anaſtomoſes, nam ſi per eas ille reciprocus materiarum refluxus fieri poteſt, cur & pus per eaſdem vias purgari non poterit? cur ſanguis per eas non poterit ſimiliter ab azygota ad cruralem deriuari & per ſaphenarum ſectiones vacuari?

Pro quarum difficultatum intelligentia, notandum eſt eos qui pus empyicorum per anaſtomoſes terminales ad vias vrinæ deducunt, aſſerere apices azygotæ (quod alio modo fieri non poteſt,) extrauaſatũ pus reſumere & ad mamillarem per mutuas inter illas anaſtomoſes deduci, ita vt mamillaris apices ab apicibus azygotæ pus attrahant, & ad epigaſtricas per alias iterum anaſtomoſes tranſmittant, à quibus in iliacos ramos delapſum per pudendam ad vterum deducitur, qua via & coniunctam in pleuritide materiam venæ ſectione vacuari vult Gardinus: Hæc eadem via etiam datur ab ijs, qui ab vtero ad mamillas reciprocum ſanguinis & lactis refluxum docent. At qui pus per veſicam deducunt, fingunt ab azygotæ parte inferiore, progeniem quandam in emulgentes & adipoſam inſeri, alij azygo-

tæ apicem in cauam ipsam reflecti: Quæ puris à pleuritico abſceſſu deriuationes vt fiant, ab azygotæ apicibus, extrauaſatus & purulentus effectus ſanguis, reſumi debet, atque in putealem eius remeare.

At verò omnes hæ puris deducēdi viæ, ſiue ad vterum, ſiue ad veſicam, ſiue ad inteſtina, admodum difficiles ſunt ne dicam impoſſibiles: quod Galenus demonſtrauit, dum contra Eraſiſtratum ex profeſſo agens, pus per azygotæ apices nullo modo reſumi poſſe contendit, non ſolum quod trahendi illud potentia careant, ſed maximè quod ratione craſſitiei materiæ, tum pororum & anaſtomoſium paruitate, peregrina & à natura alienos ſuccos perpetuò à ſe propulſent; hinc fruſtra tales venularum anaſtomoſes & inſertiones ſicuti & illarum progenies pingentur, ni liceat,

Li. de loc. aff. 1. cap. 5. & lib. 5. cap. 8.

Mentiri aſtrologis, pictoribus atque poëtis.
Vnde Galenus puris trahendi è thorace miniſterium, non azygotæ, non mamillari aut alteri venæ, ſed pulmonis arterijs addixit, quod diaſtole ad ſe trahere poſſint.

Quod ſi pus pleuritici phlegmonis aut empyici, per azygotæ ramos remeare poſſet, profectò ad azygotæ putealem facil-

lime

lime perueniret, & ex ea rursum sine mora via regali per propriam anastomosim ad lacunam conflueret (nonobstantibus confictis in azygota valuulis, quas conuenientes refluuio adaptauit Riolanus cōtra Hollerium & Amatum de quibus postea) quam puris in lacunam deductionem satagebat Erasistratus, & post eum qui ab azygota ramusculum in lacunam parte infera reflectunt, & nouissimè Columbus cum discipulo Valuerda & Spygelio, qui arteriam venosam & venam arteriosam in pulmone anastomosi vnientes, contra Galenum, Erasistrati dogma antiquatum reuocant, puri è thorace in cauam, per venam arteriosam, viam sternentes, Queis accedere videtur Riolanus dum optat naturam, eam quæ in fœtibus anastomosis est lacunæ ad arteriam venalem, apertam tenuisse, votum sanè non absimile isti, quo Momus quidam optabat Iouem occipitio oculos apposuisse, vt venientibus à tergo calamitatibus homines sibi tutò prouiderent, similes prudenti Iano *quem à tergo nulla ciconia pinsit*, & reuera si per venas azygotæ refusio ista possibilis esset, in lacunam translatus sanguis per putealem eius vt di- *Anthrop. lib.* *Pers.*

ctum eſt, facile in emulgentes traduceretur, citra ramuſculorum prætenſorum progenies & inſertiones, quas in his & alijs corporibus, hi & illi, alio atque alio modo ſe vidiſſe & reperiſſe affirmant, quæ naturæ neceſſaria hinc non eſſe coniiciendum eſt, quod natura Hipp. ſemper & omnibus æqua, iuſta, ſapiens, & prouida, illas omnibus dediſſet, & talia ſi aliquando reperiantur, ſic æſtimanda videntur, qualiter ſextus in manu aut pede digitus.

Neque tamen eiuſmodi commentis, pus ad inteſtina deducere valebant niſi maximo periculo per hepar viã affectaret, vbi viſceris illius œconomiam facile peruerteret, & omnia coinquinaret; Quæ cauẽs Bartholomeus Euſtachius eadem fingendi licentia commentus eſt anaſtomoſes inter ramos portæ & venas diaphragmatis: quibus tamen etiam conceſſis, non efficiet, quin puris cum chylo fieret commixtio, dum interim eiuſmodi commentis valere iuſſis ex ſententia Galeni arteriæ inteſtinales præſto ſunt, quæ citra hãc permixtionem, pus ad inteſtina deponant motu ſiſtiolis excluſum, de tot igitur adeoque varijs anaſtomoſeon commẽtis, quid

Lib. de Ren. cap. 41.

aliud

aliud opinemur, quam esse inefficaces & nimium perplexas vias, dubias, nullaque constanti experientia inuentas & assertas, inutilia in natura commenta, quæ per vias regales notas & certas, ministeria tot ambagibus quæsita perficere potis est.

Quod verò lac à mamillis ad vterum sicuti neque sanguis ab vtero ad illas per prætensas vias & anastomoses peruenire non possit, sicuti Syluio visum est, quod adferũt ad prætensas anastomoses stabiliendas, Riolanus *ex hac communione* inquit *non sequitur, quod sanguis & lac à mamillis ad vterum nec sanguis ab illo ad mamillas sit refluus* At si huius ministerij causa hæ anastomoses non sunt, nec puris deducendi causa, cum natura nil fecerit frustra, alium earum vsum edocere debuit, aut fateri eas omninò non esse, sicut de communione azygotæ & thoracicæ sensit cap 8. li. 3 & de anastomosibus hepatis & portæ lib. 2. cap. 17. & de vmbilicalibus cum vtero lib. 6. cap 8. Enimuerò quod post Vesalium notauit Laurentius, mamillaris ad mamillas non pertingit, nisi forte insensiles quidam pori & atomi ad eas perueniant, illæ enim à thoracicis ramis vasis conspicuis nutriuntur: de epigastri-

Anthrop. lib. 2. cap. 8.

cis verò & mamillaris apicibus ad abdominis glandulas commixtis, *existimo* inquit *illas duntaxat à natura factas, vt partibus alimentum ministrent per quas distribuuntur, quoniam in viris & mulieribus eodem modo reperiuntur.* Neque verò pudenda vteri interiora penetrat, sed duntaxat colli partem exteriorem perreptat, alimenti ministra, quod si hanc in quibusdam puerperis grandiorem & ampliorem effectam reperit Riolanus, nil ea amplitudo amplius arguit, quam partes circa vterum in prægnãtibus dilatari, quoniam & partes quibus famulantur, ampliantur, & pluri egent alimento, quin & propter partus contentionem venæ crurum & tibiæ varicosæ illis efficiuntur.

At ne temerè reciprocos refluxus per prætensas anastomoses denegasse videamur, operæ pretium est rem se omnino aliter habere demonstremus. Neque verò negamus vteri cum mamillis societatem, quam Hippocrates nos edocuit, interim notauimus ex Vesalio descendentem illam per xiphoidis latera venã ad mamillas vix pertingere, tum & epigastricæ ascendentis apices authore etiam Galeno ad glandulas terminari, arterias ascendentes

L. 3. Fab. bu. Cap. 12.

res & descendentes etiam apicibus proximas mediante lacuna sociari, quibus satis demonstratũ, partium illarum consortium per prætensas anastomoses, siue coitiones, siue ferruminationes nullo modo fieri.

At sociantur & communicant, per quas igitur vias microcosmi genius, qui primus illarum sympathiam notauit, declarabit.

Vna est inquit totius conspiratio, & huius motus reciproci directio toti gentilitati referenda est, porrò ipse eleganter sic explicat, *Omnes partes ad totius gentilitatem conspirant, insuper quidquid minima pars pertulerit, ad gentilitatẽ refert ac transfert, vnaquæque ad suam*(magnetismo scilicet) *siue bonum siue malum, & propterea corpus dolet & lætatur cum minima gente, quia in minima sunt omnes partes & hæ ad gentiles sibi ipsis singula transferunt*, (scilicet minores venæ ad maiores, & neruorum apices suo principio) *& omnia denuntiant*, indigentiam scilicet aut huius, aut illius necessitatem: gentilitas in corde maxime, sicut & in vtraque lacuna medio matrice è regione cordis vbi caua est amplissima, & illi patentissimæ anastomosi cõnascitur, sicut & vbi paulo infra iecori *Hippo. de aliment. lib. de loc. in ho. n. 3.*

altis,

altis, pluribusque radicibus implantatur maximè viget, cum itaque illa lacunæ regione totius sanguinis gentilitas radicetur, non erit difficile declarare quomodo quibusue vijs prætensæ partes sympathiæ suæ & consortij beneficio fruantur: Porrò quod supra de arterijs ex Galeno didicimus & nunc de venis statuendum est, epigastricas & mamillares venas cum vtero & mamillis communicare & quidem per anastomoses originales, per quas venæ omnes sociantur, nempe cum earum omnium venarum siue mamillarium siue thoracicarum, quæ mamillas irrigant anastomoses originalis ad subclauium & axillarem alueum pateant, venæ vero quæ vterum nutriunt iliaco vniantur, & hi aluei sint lacunæ fauces & processus, qui patentissimæ anastomosi illi vniuntur, fit profecto, quod propter hanc in mediomatrice lacuna societatem ex mamillaribus per supradictos alueos in lacunæ portum amplissimum sit refluxus facilis, naturæque prædestinata & certissima scientia sanguis & lac per mediam lacunam ad vterum, & vicissim sanguis ab vtero aut partibus illi vicinis ad mamillas vltro citroque commeet, quin & per easdem vias ex mamil-

lis

lis lac per emulgentes in renes delapſus & ab his per veſicam foras defluere poſſit, qualiter ſanguis & chylus per eaſdem omnino vias recta diſpenſatione naturæ ſurſdeque aguntur.

Vterus ergo mamillis, & hæ vtero ſibi mutuo denuntiant naturali magnetiſmo, compatitur vtrique gentilitas connaturali ſcientia, vtriuſque partis commodis & incommodis ſubitò obaudiens: Admiranda autem huius ſympathiæ & magnetiſmi radix ab origine ſuam habuit intelligẽtiam, quippe quod per omnia diuinus Hippocrates omnes partes corporis ſimul conformari aſſeruit circulo generationem comparans, atque etiam illas ſimul aliquando fuiſſe contendit, ſpermaticas maximè in conceptu ſpiritali modo extitiſſe diſtantiam non admittentes, aut eas atomas & inſentiles, non aliter quam in microcoſmi conceptu & origine,

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe, quẽ dixere chaos,

Licet omnia quaſcumque diſtãtias poſtea admiſerũt in chao eſſentialibus principijs inuiſibilia laterent, ex doctrina Toſtati in Geneſim.

Quẽadmodum igitur in conceptu dum

ſimul

simul vnitæ partes erãt, sibi ipsis obaudiebãt, ita & cum distantias admiserunt illæ inter se auxiliatricẽ amorem retinuerunt.

Enimuerò, quæ diximus etiam notauit Laurentius, *aliæ sunt patentiores viæ magisque conspicuæ huius sympathiæ; docemur anatome, ab axillari alueo maiores venas ad mamillas perreptare, similiter, per multos ramos à spermatica & hypogastrica vena vterum adire, cum igitur mamillaris ad mamillas, & epigastrica ad vterum non perueniant, ipsa nos docente autopsia, rationi conuenientius est sanguinem ab vtero ad mamillas, & lac ab illis ad vterum confluere per internos & patentes meatus, quam per insensibiles & externos, qui eas partes non tangunt, notauimus quibusdam mulieribus tribus aut quatuor diebus à partu lac per vrinas magna copia fluxisse, quis per epigastricam nisi mente captus id fieri dicat? Hipogastrica quæ plures in vesicam progenies mittit opus istud explere potest: Dicimus igitur lac à thoracicis quæ mamillas irrigant, in axillarem alueũ remeare ex illo in cauam ex ea per hypogastricam in vterum & vesicam peruenire.*

Quæst. 7. lib. 6. cap. 7.

Concludat hic Anatomicorum facile princeps Vesalius; *Partium* inquit *illarum con-*

consortium qualecumque tandem sit, ad vniuersum cauæ venæ caudicem potius referendum putauerim. Istas sanè phantasias irridet Vesalius, *Mirum inquit quam eiusmodi speculationum gratia Galenus sese interdum torqueat, modo venas abdominis inferiora petentes ab illis, quæ vterum adeunt oriri (etsi rursum alibi secus testetur) scribens modo prolixè tradens, quod per easdem venas sanguis circa vterum in prægnantibus abundans, in mamillas sursum repat, perinde sanè ac si venæ à iugulo sub xiphoide abdomen petentes & illæ, quibus inferior abdominis sedes intertexitur, solæ essent viæ ductusque, per quos vteri cum mamillis fieret consortiũ.* Lib. 5. anat. cap. 18.

Igitur quæcumque per crises, siue pus siue sanguis ex aliqua parte in qua latuerat, siue per vterum, siue vrinas, siue per nares excernitur per originales anastomoses vacuari, & rationi & anatomicæ demonstrationi consentaneum est. Quare breui epilogismo concludimus.

Venarum apices solidis partibus congenitas, alterius famulatus non sollicitas à mediomatrice lacuna sanguinem prædestinata scientia trahere, à vicinis verò apicibus nullo modo, quod apices apicibus non vniantur, quod venis contrarius ines-

ſet motus, quod ſanguinem ſibi præripi non ſinunt venæ, quod alienum & peregrinum non trahunt, ſed reſpuunt, quod illis inanitis, præſto eſt in lacuna ſanguis qui fluxu naturali ad illas defluit, quod craſſior ſit ſanguis extrauaſatus, quam apicum illarum tenuiſſima oſcula ſubintrare póſſit.

Verum datis & conceſſis etiam anaſtomoſibus prætenſis, conficere poſſumus, illas oppoſitam ſectionem omnino ſuadere, directam damnoſam & periculis plenam condemnare ſi dicimus,

Azygotæ truncus putealis ab anaſtomoſi ſupra cor vſque ad octo inferiores coſtas quas alit protenditur, quod demonſtratur figura tertia per *a. b.* ab vtraque parte putealis rami ad pleuram & meſopleurios extenduntur, quod patet per *cc.* *m m* ab vtraque lateris parte deſcēdit thoracica ex axillari orta, quod demonſtratur per *d. k.* ex qua thoracica prodeunt progenies notatæ per *f f f l l l* quæ ſuis apicibus iungentur anaſtomoſi cum apicibus occurrentibus azygotæ loco aſtericijs inſignito * *.

Ex qua venarum conſtitutione ſequitur, quod ſecta baſilica ſiniſtra in cubiti flexu

flexu notata *h* in tertia fig. & *g*. in prima necessario vacuabitur axillaris notata *e* & ea vacuata thoracica notata *d*, tum & eius progenies *f f* vsque ad locum apicum earum, & pleuritidis locum ouali nigro notatum, & apicibus illis vacuatis vbi asterici * * qui vniuntur anastomosi cum ibi occurrentibus apicibus azygotæ, & hos vacuari necesse est continui & vacui necessitate, quibus vacuatis consequenter progenies putealis azygotæ *c c c* vacuantur & his vacuatis putealem vacuari *a. b.* cõtingit & à lacuna patentissima anastomosi sanguinem trahet, qui ad locum affectum confluet. Tum & oppositi rami putealis azygotæ vacuabuntur *m m* & per apices thoracicæ sui lateris anastomosi prætensa vnitis, quidquid est vitiosi & æstuantis in latere sano sanguinis, per putealem azygotæ ad locum affectum inundabit, tum ratione continui & vacui, tum ratione doloris & caloris partis affectæ, tum quia imbecillior facile recipit, tum quia opposita valens potenter propellit, quod suboluerat Gordonius vt notauimus Articulo 2.

At secus omnia sunt euentura opposita sectione dextra. Etenim secta basilica dex-

tra notata *g*, axillarem *r* vacuamus & ab ea enatam thoracicam *k*, qua vacuata & propagines eius vacuantur, vsque ad * * vbi azygotæ apicibus vniũtur, quibus inanitis & putealis azygotæ progenies inaniri oportet *m m*. & his continua putealis *a. b.* & aduersi lateris à puteali enatæ progenies *c c c* vsque ad locum affectũ, si plenissima fieret euacuatio quod vt est, necessario influxũ, quod tanti faciunt aduersarij, opposita sectio vacuabit, neque vero duntaxat supradictas propagines putealis azygotæ inaniet, sed & ad intercostalem oppositam *p* fluentem ex lacuna sanguinem in lacunæ ipso biuio *n* intercipiet, sicut & quidquid sanguinis ex lacuna per subclauios *q q* in mamillares *o o* & thoracicã *d* fluxurus esset vna eademque ratione lacunam euacuans, & ab ostio azygotæ reuellet; & quod præcipuum est, partem totam corporis oppositam ex qua est fluxionis origo, aut quæ æstuantem sanguinem in morbosam & imbecillem partem propellit & dirigit exhauriet, sicque citra proritandæ fluxionis metum omnia faciet quæ aduersarij directæ sectioni tribuunt.

Hic obijciunt Amatus & eum sequutus Sclanus valuulas inesse azygotæ orifi-

cio ita dispositas, quod venæ sectione sanguis refluere non possit, quo posito anastomoses prætensas omninò necessarias esse statuunt, vt influxa à parte affecta materia possit vacuari, qua hypothesi asserta, Vesalij rationes eludunt, qui ratione rectitudinis fibrarum azigotæ, dextram basilicã reuulsionis gratia perpetuò secari voluit, sicut & eorũ sententiam eneruant, qui per anastomoses originales azygotæ maximè reuellendum ad opposita autumát. Cui obiectioni antequam respondeã,

Notandum videtur Amatum primum has valuulas asseruisse, similiter & Hollerium, quod probat fistula in azygotã parte inferiori intromissa, qua insufflata, negat lacunam inflari valuula orificij azygotæ impediente: Salceus Sclanus rationem dedit, ne sanguis per eam attractus ad laterum nutritionem thoracis motu reflueret: Has etiam asseruit Ioannes Baptista Cananus, eandem cõceptionẽ sequutus alius, orificio venæ coronalis valuulam affinxit, ne sanguis motu cordis repulsus refluat, nesciens sanguinem in ijs venis moueri, tãquam nautam in naui, cuius motus, à nauis motu non impeditur. Eodem phãtasmate ductus Iulius Casse-

Centur. 1. cur. 52. Ther. lib. 1. cap. 26.

Coment. in aph. 21 lib. 1.

rius Placentinus, ſcribit notaſſe ſe in carotidibus aſcendentibus ſtatim atque cerebrum ingreſſæ ſunt tres valuulas ab vtroque latere, nempe iugularis interna & ceruicalis ſingulæ habent duas, quæ deorſum verſus ſpectant, ne ſanguis nimio impetu in cerebrum feratur, ne etiam in latus reclinato capite, apoplexiam generet, quaſi ſanguis in venis quemadmodum aqua in fictili canali, ad corporis, aut partis hunc aut illum ſitum ſuſdeque agatur, quod ſi verũ eſſet, & apoplexia à ſanguine per venas cerebri deſcendente fieret, frequentiſſimæ fierent apoplexiæ; contrariũ teſtante experientia.

Orificio azygotæ quidam duas appoſuerunt, quidam tres. Spygelius emulgentibus in earum ad cauam anaſtomoſi valuulas addidit, ne materiæ retrocedant, renum magnetiſmo non fidens, *& reuera* inquit *Riolanus ſi valuulæ non ſunt, à valuularum ſtructura non multum abſunt*. Columbus, & Aſelius orificijs venarum meſeraicarum tenuiſſimis ne chylus ab ijs refflueret affinxerunt, ſunt qui dant vnam intercoſtali. Carol. Stephanus orificio cauæ ad hepar, quã ſe nunquã inuenire potuiſſe ſcribit Riolanus vnam dedit, dum interim ſcribit obſeruaſſe ſe valuulas, quas Ama-

Lib. 2. anth. cap. 24.

Anthrop. lib. 3. cap. 8.

tus proposuit, in eo tamē ab Amato, Hollerio Columbo, Spygelio, Stephano, Sclano & alijs dissentiens, quod commentum Casserij sequutus velit eas non aperiri introrsum vt refluxum ad anostomoses originales & cauam impediant, sed contra ab intra extrorsum, sic vt impediant ne sanguis nimio impetu per venas fluat, ita vt possit per originales anastomoses ad lacunam refluere, hinc lib 5. cap 47. *harum valuularum vsus est*, inquit, *sanguinis impetum præcipuè partes inferiores petentium sistere*, & tamen præcipuè superioribus lacunæ stolonibus eas applicat, iliacis autem aut cruralibus nullas dedit, quæ prono sanguinis fluxui maximè sunt obnoxiæ, etenim venis colli notabiles cum Casserio applicat, vbi sanguinis fit ascensus, axillari vbi sanguis in transuersum & via plana fertur duas, cephalicæ & basilicæ eius ramis modo plures, modo pauciores prout collibuit.

Ad quæ, dico de valuulis istis doctrinam videri dubiam, quoniam qui eas asserunt, has in alijs atque alijs corporibus, aliter atque aliter inuenisse se dicunt, natura autem cum nihil frustra faciat, has omnibus corporibus æqualiter dedisset,

& eodem loco, eodemque numero composuisset: Sunt quidem maiorum vasorum diuisionibus, siue bifurcationibus, prominentiæ quædam ad firmitatem congenitæ, sed non tales quæ fluxum aut refluxum impediant.

Isag. lib. 1. cap. 4. Iacobus Syluius quas illi valuulas nominant epiphyses dixit, *epiphyses membranarum adsunt azygotæ orificio, similiter & orificijs maiorum vasorum vt iugularium & bifurcationibus maioribus venæ cauæ.* Laurētius, quod & ante notaui, Azygotæ valuulas chymerica figmenta esse declarat & eas irridet, sicut & Fallopius in obseruat. anat. Bartholomeus Eustachius Romanus similiter & Carcanus Bononienses anatomistæ, Bauhinus tractatu de partibus similaribus negat se potuisse reperire nec in brutis nec in hominibus, tum experientia cōtra Hollerium, ait canula insufflata non solum azygotam sed etiam cauam attolli. *Lib. 2. theat. anat. c. 8.* *Multa*, inquit Ioubertus, *comminiscitur Amatus sensibus etiam imponens, vt inauditam & à se inuentam mittendi sanguinis ab eodem latere in pleuritide causam reddat*, *Parad. 9. decad. 1.* & Fransf. Valesius cont. lib. 7. cap. 4. figmentum Amati imposturam vocat, *& nos* inquit *adfuimus dissectionibus, hac in re il-*

lius

lius testimonium nobis diligentiam peperit, tamen tam expeditus est sanguini egressus ab hac vena, quam ingressus. Fabricius ab aquapendente eas etiam absolutè negat.

At primus omniũ multis ante sæculis de his egisse videtur Ruffus Ephesius, quas post præceptorem suum Dionisium Oximachi filium ἐπανϑισμὸς vocat, quasi dicas eminentiam, protuberantiam, efflorescentiam, luxuriem. *Lib 1. de appell. corp. hũ. cap. 23.*

Demus igitur maiorum venarnm bifurcationibus epiphyses seu ἐπανθισμὸς, sed reuera valuulæ non sunt quæ materierum ingressum, aut egressum impediant, quippe si tales essent ξυῤῥοίαν Hippocraticam destruerent, & infinita in re medica rectè à Galeno statuta destruerentur, nam & his positis per azygotam frequentes fierent pleuritides, continuo ad partem affectam fluente & cõculcato, quod ait Galenus sanguine, nec refluere valente, hincque frequentes venarum κιρσιώσεις. Concedamus etiam efflorescentias quasdam & luxuriosas in venis pelliculas ἐπανθισμὸς Ruffi, quæ sanguinis impetum moderari, non sistere possint, quod hic in alueo fluminis inclytæ Ciuitatis Audomarensis, *Aa* vocato, accidit dum fundo viridanti- *Gal. Coment 2. in lib. de fract.*

 bus

bus herbis luxuriante, illius aquæ tardius solius diffluuut.

His ergo sic concessis & declaratis, illis qui valuulas azygotæ regressum materierum impedire asserunt dicimus, oppositæ sectioni istas valuulas non obesse, quoniam cum Reuulsio opposita, fluxuri duntaxat & fluentis sanguinis ad partem affectam vacuatione expleatur, sufficit illi fluentem ex lacuna & potente parte opposita ad azygotam & per eam ad partem affectam sanguinem vacuare, quod si tunc directa secaretur plus omninò attraheretur, quam à parte vacuaretur, nẽpe quod per ostium azygotæ nihil refluere per illud vero plurimum sanguinis hac sectione influere posset, sicuti præcedenti demonstratione ostensum est.

Concludamus igitur prætensas anastomoses nihil contra quam tuemur oppositam sectionem concludere, è contra illam etiã omninò persuadere, imò valde dubias esse, perplexas, difficiles, & impotentes vias, nec per eas fieri materiarum refluxus: Verisimilius enim est, talia per originales anastomoses & apertas vias perfici, nam quod scribit Hippocrates, totum ex toto trahere ac mutuo recipere καὶ μίαν

πάντων

πάντων εἶναι σύῤῥοιαν καὶ σύμπνοιαν per anastomoses originales & communes vias fieri asserit Galenus nat. facul. 3. cap. 13. sic enim ab vltimis corporis partibus per interna venarum ora sanguinē reuocat διὰ τῶν αὐτῶν στομάτων δι' ἂν ἔμπροσθεν fluxerat, sic ex hepate in ventrem & intestina nutrimentum reuocat per easdem vias, per quas prius in hepar subierat, *sic* inquit *nullo corporis incommodo, natura totum corpus purgat, redundansque vacuat per easdem scilicet venas* διὰ τῶν αὐτῶν δήπου φλεβῶν δι' ὧν ἔμπροσθεν ἡ ἀνάδοσις ἐγίνετο. *per quas antea in corpus fuere deducta*, at de anastomosibus satis, nunc ad alterum fundamentum pro quo sit,

ARTICVLVS VI.

Aliud directā secantiū fundamētum est,

In reuulsione oportet naturam imitari & criticas euacuationes.

ALterum hoc est directam perpetuò secantium fundamentum qui aiunt, medicum naturam imitari oportere ex Hipp. & Galeni præcepto, cumque

eumque in directum factæ euacuationes criticæ laudabiles sint vt naturæ victricis robore factæ, contrariæ verò lethales aut mali iudicij, concludunt medicum suas vacuationes perpetuo in directum bene instituere.

Quod fundamentum vt malè sumptum destruatur, disqurrendum primò, quid sit crisis, quando & quomodo fiat, an sit vna & an fiat partis affectæ robore, sic materiam morbificam dirigente, postremò an euacuatio reuulsiua artificialis à critica naturali reuulgari debeat, quod priusquã aggredior, breuiter

Notandum naturam in suis operationibus proprie nullas reuulsiones facere humorũ vel quantitate, vel qualitate peccantium à parte affecta, sed è contra, quod perpetua doctrina asserit Galenus, eam semper ad partes affectas humores depellere, vel deriuatione vacuare. Reuulsionem esse opus in medici potestate sitũ, quo posito,

Crisis est præceps in morbo mutatio siue ad mortem, siue ad salutem, expectatur in acutis in quibus humorum tanta est ferocia vt vix decimum quartum excedat, quin naturam ita molestet, vt cogatur duellum inire, quod crisis est, quæ duella peri-

ricu-

riculosissima, medici moderni materiæ peccantis minutione anteuertunt, & ista est crisis significatio cuius finis κρίνεσθαι sic definiente Galeno; de ea quæ ad mortem fit non agimus, eam enim pro fundamento statuunt, quam Galenus eodem loco fieri dicit τῆς φύσεως διακρινούσης ἀπὸ τῶν χρηστῶν τὰ μοχθηρά Itaque κρίνειν hic erit purum ab impuro secernere, naturæ litem cum morbo iudicare, quod in bonum vertitur, & Hippocrati significat λύειν. Com. ad aph. 13. lib. 2.

Iam verò crises bonæ fiunt vel κατ᾽ ἔκκρισιν vel κατ᾽ ἀπόστασιν seu μετάστασιν per excretionem, depositionē aut materiæ trāslationem siue permutationem & tales vt bonæ sint debent κατ᾽ ἴξιν fieri in statu morbi concocta & euicta materia, hinc concludunt medicum vt naturam coadiutricem habeat vacuationes in directum ducere, cōfirmāt aphor. Hip. *quo ducere expedit & quo maximè natura vergit?* & doctrina eiusdē parte 2. epid. κατ᾽ ἴξιν πλευρέων &c. & Galeni de crisibus λύουσι δὲ ἱκανῶς &c. de curandi ratione per venæ sectionem, quæ soluentur & explicabuntur suo loco. Aph. 21. lib. 1.

His sic positis si demonstrauero reuulsionum scopos, crisium scopis esse contrarios, & reuulsionem criticis euacuationi-

bus

bus contraria omnia moliri, directè secantium fundamentũ præcipuum destruxero.

Ac primò negamus medicum in artis operibus perpetuò naturam imitari oportere, quippe ad humorum eductionem natura crassitudinem inducit, non enim ante illos expellit per crises, quam illos concoxerit, & crassiora reddiderit, contra medicus tenuare intendit ex doctrina Galenii illa enim protrudendo transuersis fibris vacuat, cui operi commoda est crassities, medicus rectis attrahit cui commoda est tenuitas, hinc natura crudos humores vacuare nec tentat, nec rectè potest, medicus etiam turgentes & incoctos commode etiam euacuat minutione materiæ: Quæ cõsiderans Valesius concludit, *constat ergo, cum medicus & natura propter contrarios vsus operentur non mirum esse si procedant contrario modo.* Non ergo medicum continuò naturam imitari oportet, quod sic etiam probatur,

Libell. quos & quando.

Lib. 7. Cont. 11.

Bona crisis siue vacuatio critica fit in statu præcedentibus signis coctionis, cum indicatorio bono, at illa cum reuulsione ex diametro repugnat. Primò in fine quo κρίνεσθαι Hippocrati est λύεσθαι morbum soluere, Reuulsio contrà non intendit morbi

solu-

ſolutionem, ſed morbi violentiam & augmentum impedire, quippe criſi præceps fit in morbo mutatio, in reuulſione non item, hinc euacuatio critica intendit coniunctam morbi vacuare materiam à parte affecta, Reuulſio antecedentem duntaxat aut influẽtem ad partem affectam ne fluat auertere aut intercipere, ne ſuo aduentu morbum augeat.

Secundò critica vacuatio fit in ſtatu edomita materia morbifica per ſeparationem: Reuulſio contrà fit in principio quã proximè fieri poteſt, quo tempore humor crudus eſt indomitus, orgaſmo proprio furioſus turget & vrget.

Tertiò, in critica vacuatione humor expellitur & protruditur tranſuerſis fibris; In Reuulſione trahitur per rectas fibras ratione conſecutionis ad vacuum per venæ ſectionem, aut familiaritate ſubſtantiæ magnetiſmo medicamenti.

Cum ergò contrariorum cõtrariæ ſint affectiones, ſequitur criticas euacuationes κατ' ἴξιν rectè factas à natura demonſtrare, oppoſitas κατ' ἴξιν artificiales vacuationes, rectè in contrarium fieri. Quod ſi demonſtrauero directionem illam humoris, aut ſanguinis criticè vacuati non fieri robore

partis affectæ, luce meridiana clarius apparebit, oppositam tenentes sententiam elencho causæ non causæ esse delusos, quod priusquam aggredior,

Notandum videtur κατ᾽ ἴξιν illam in hæmorragijs ex erroneo esse fundamento, quippe Hippocrates cum quatuor venarum paria constituisset, quas sanguifluas vocat, quarum duo à capite ad calcem deorsum recta descéderent,* ita vt singulæ directam sibi corporis partem alerent, nec vllam haberent cum sibi oppositis in altero latere communionem, quid mirum si illam rectitudinem sic commendarit?

Lib. de Nat. hu. & oss. nat.

* παρὰ τὴν ῥάχιν ἔνθεν καὶ ἔνθεν.

Eodem loco duo alia paria venarum ab anteriore capitis parte per clauiculas ad manuum extrema deducit, & eadem reducens via (vt recurrentes ferè neruos) sinistram propaginem à sinistra manu reductam, in liene confundit, à dextra in hepate, quod falsissimum esse autopsia anatomica declarat, vnde non mirum si in lienis phlegmone & hepatis directas hæmorragias collaudet, sicut & directæ basilicæ sectionem, & mirandum sanè tot scriptores in eo conuenire, cum certò sciant, nullam esse venam quæ ad lienem pertingat nisi mediante hepate & lacuna,

in eo medicinæ parentem præ veritate, quæ omnibus anteferenda est, reueriti. Quod ex græcis princeps Ruffus Eph. lib. 1. part. corp. hu. cap. 23. non tulit, *Cæterum*, inquit, *non quemadmodum in iecore ita in liene sursum versus, deorsumquè in sinistra parte discurrens vlla vena reperitur, qui verò id asserunt impudenter mentiuntur, quandoquidem venulæ in lienem pertinentes, graciles sint & ibidem in liene finiantur.*

Neque vero, qui hanc directionem partis affectæ expellentis robori & venarum communioni tribuunt, etsi vtriquè fallantur, conueniunt: porrò Fernelius, Fuccius, Brissotus, quos sequutus etiam est Fœsius, coment. in Galeni lib. de venæ sect. Sicut & Thadæus Dunus lib. de sang. miss. communionem illam directam ex rectitudine fibrarum in venis metiuntur, sanguinem rectis fibris trahi, vel sponte profluere, nullam venam cum oppositi lateris venis communicare contendunt.

Atqui anastomosibus occultis directarum partium communionem tribuunt, & qui originalibus per notas & patentes venas partium directarum consensum referunt, has fibrarum rectitudines irrident,

Sal-

Salceus Selanus ad aph. lib. 21. Rondeletius, Hollerius, Ioubertus paradoxo proprio. Vesalius has fibras venarum reijcit cum Fallopio, afferens post multas venarum coctturas diligentissimo etiam examine se quidquam hac de re certi assequutum; Scaliger *vena, inquit, non habet motum, quippe simplici facultate trahit citra instrumentarium motum, sicut hepar & renes.* Amatus Brissoti rationem contemnit, Valesius in sectione oppositæ basilicæ humero affecto fibrarum rectitudinem seruari docet. *Omnes venæ*, ait à Vega, *rectis fibris in cauam communicāt* fibrarum rectitudinem causantibus respondet *maiorem esse communionem venarum dextri & sinistri lateris per fibras rectas (quoniam omnes ad cauam supra cordis regionem coincidunt) quam sit inter vteri venas & brachij internas eiusdem lateris & quam sit inter manū & pedem, à qua ad hunc nullæ venæ rectis fibris descendunt. Quis enim adeo imperitus est vt putet crure laborante scissa vena brachij, fibras ipsas ex crure trahere sanguinem?*

Paradox. 9. dec. 1.

Coment. in lib. de insom.

Contro uers. lib. 7. cap. 4.

Christoph à Vega de arte med. lib. 1. sect. 5. cap. 1.

Iam verò nullæ venæ secari possunt, quæ rectis fibris ad locum pleuriticum perueniunt, sed duntaxat in cauam, quo casu tam dextræ quam sinistræ æqualiter à la-

cuna

cuna trahunt, nam & azygotæ progenies rectis fibris à caua trahent, caua autem ab azygota trahere nesciet, quippe refusio in illam transuersis fibris fiet, quod probauit operosè Galenus dum fibras longas œsophago ad deglutiendum iuuare docet vomitioni transuersas duntaxat inseruire, *rectæ enim deglutioni tãtum subseruiunt*. Tum & vomitum ventris secessu curamus reuulsione, sicut & ventris fluxum vomitione, cum tamen intestina fibris oblongis careant. Quibus rationibus destruitur omninò fundamentum Fernelij & Gallorum omnium, qui ratione fibrarũ illarum perpetuò in pleuritide eiusdem lateris basilicam secant. κατ' ἴξιν Hippocratis per eas intelligi putantes.

Lib. 5. Nat. Facult.

Dicemus, inquiũt Christophorus à Vega & Valesius (spretis fibris, & neglectis occultis vijs & anastomosibus terminalibus) τὸ κατ' ἴξιν de membrorum communione dici, & dextras partes dextris, sinistras sinistris rectitudinem seruare per communes & patentes meatus: Quippe per originales anastomoses venæ sectione ex loco affecto, aut vicinis partibus sanguinem in cauam, siue lacunam reducunt & ex ea foras per sectionis locum.

Art. med. lib. 2. sect. 5. cap. 1.
Cont. lib. 7. cap. 4.

Quod verò nec ratione communionis anastomoseos occultæ critica vacuatio dirigatur, dicetur, si primò,

Supponimus criticæ vacuationis duplicem esse materiam: Vel enim extrauasata est, vt in phlegmone iam suppurante, vel intra vasa adhuc fluctuat, vt in febribus putridis, vel vtrobique latet, vt in pleuritide inter pleuram & costas, & spatijs vacuis, & in venis etiam sanguifluis per febrim alterato sanguine vel ante cacochymia laborante,

Putrem illam extrauasatam à natura in phlegmone edomitam per anastomoses apicales remeare non posse Articulo quinto probatum est, quæ arterias non venas huic operi dicauit. Nec verò quisquam pleuriticis pus, aut sanguinem purulentũ è naribus fluere conspexit, quod fatetur Joubertus & candidè hic Fernelius. *In crisi fateor nonnunquam infestum humorem coctione præparatum ab alijs segregari, ac tandem per vias idoneas excludi, at nihilominus si tunc venam incidere contingat, per eam posit minimè tanto tempore vitiatum humorem secernere.* Ecce nec in statu cum directam secare ad purulentum & putrem (quod gloriantur se facere) humorem e-

Parad. 9. dec. 1. Therap. lib. 2. cap. 3.

uacuan-

uacuandum conueniret,ne quidem tunc à parte affecta illum venæ sectione euacuari posse fatetur.

Restat igitur is qui in maioribus venis & lacuna æstuabit hæmorragia effluat, ad quod effluuium,nil faciunt neque fibræ rectæ, cum expultricis opus transuersis fiat,neque anastomoses apicales,sed duntaxat originales, per quas totius corporis venæ communicant, sicut articulo 5. demonstratum est,quod fassus est Fernelius inquiens; *Admirabilis quædam est continuatio seriesque venarum, per quas sanguis totus sic transfunditur, vt patente via vniuersus plerumque cum vita excedat, etenim venæ sectio quascumque venas depleuerit vniuersum corpus vacuat.* Th.2.cap. 3.

Ergo patet criticas euacuationes expulsiuæ facultatis esse opera, & in eo omnes conueniunt quod fiant naturæ victricis robore in directum, contrariæ vero ex impotentia: At quod pars affecta proprio robore vt victrix per lineam rectam sursum edomitam materiam pellit & dirigit, rationi consentaneum non videtur,& qui sic ratiocinātur, elencho causæ non causæ capti sunt.

Porrò in febribus, in quibus materia

æqualiter in toto genere venoso putrescit, hæmorragia fieret semper vtriusque naris, quod experientia & Epidem. historijs falsum deprehenditur, quippe illis quibus simul cum febre aliqua pars nobilis affecta fuit, ab vtraque nare fluxit, quod esse etiam ex supposito non debuit, sicut lib. 3. epid. coment. in ægro in Horto dealcis, cui lien intumuerat & pluribus alijs. At verò nec in principio morbi quo tempore materia nondum domita esse potest, fierent hæmorragiæ, contrarium testante experientia.

Alia igitur huius directionis causa inquirenda est, & naturæ conuenientior, vel vt cum Hippocrate loquar, gentilitati toti referenda est, omnes enim partes ad totius gentilitatem conspirant, & gentilitas in omnibus spirat, vnde sic: Li. de loc. in ho. Hipp. *Quidquid minima pars pertulerit ad gentilitatem refert ac transfert, vnaquæque ad suam, siue bonū siue malum fuerit, & propterea corpus dolet & lætatur cum minima gente, quia in minima omnes sunt partes & hæ ad gentiles sibi ipsis singula transferunt, & omnia denuntiant*, ergo gentilitas quæ totius conseruationi incumbit omnibus famulatur, & suauiter, potenterque impe-

rat,

tat, dolentibus denuntiantibus obaudit, sanas conseruat, quæ ex Hippocrate sic contraxit Aristoteles de causa mot. animalium . *Æstimandum animal constare veluti ciuitatem quandam legibus optimè constitutam, in qua vnus tantum præest in quem omnia tendunt*, quem principatum cor obtinere 12. Metaph. asseruit & 8. de phys. auditu & lib. de part. animal. 3. cap. 3. quod & agnouit Auicennas lib. de anima. cap. 8. & de viribus cordis cap. 1. Nos igitur motus illius principium non aliunde quam à natura quæ in totius gentilitate, totiusque conspiratione radicatur & principatur, repetemus, atque vbi illa maximè viget & ibi eam maximè moueri necesse est, nēpe in ea lacunæ regione quæ inter cor & hepar interiacet vastissima.

Sanguis igitur qui per crisim, aut ἐκκρισιν ad nares ascendit, cuius vacuationem salus consequitur, non erit is qui in affecta parte contentus phlegmonis erat coniuncta materia, sed is qui in lacuna & vicinis ramis à temperie alienus æstuabat, quique vasa vndequaque distendens ad partem affectam per azygotam vt plurimum contendebat: At cum is ad lacunæ fauces peruenit (etenim lacuna in duos vt dictum

est alueos iuxta iugulum se findit) cur natura victrice potius alueũ è directò partis affectæ sequitur, quam contrarium, si motus eius principium & directio, non sit à parte affecta, sed à lacuna cuius fluctus dextrum & sinistrum alueum æquè respiciunt & ad vtrumqne æqualiter appellũt?

Pro cuius difficultatis enodatione, sciendum quod ex Hippocrate & Galeno didicimus, corpus vniuersum in duas quodãmodo partes æqualiter dispartiri, partitione duntaxat contemplabili, sed miranda: quam partitionem manifestè demonstrat & probat, capitis hemicrania, hemiplegia, siue vnius duntaxat lateris paralisis. Cum igitur pars aliqua sinistra videlicet, graui aliquo dolore afficitur, ac vehementi fluxionis impetu obruitur, tota pars corporis sinistra à capite ad calcem, maximè propter neruorum & musculorum compassionem, quæ cum oppositis nullam habent communionem affligitur, imbecilliorque redditur, ad eamque tempestas quæ in lacunari mari, corporis medulitio debachatur, spiritus furiosos dirigit & fluctus promouet, grauius itaque opposita afficitur, sicut docet etiam Galenus, quinimò opposita valens furiosos istos vndarum

Nat. Facult. 3. cap. 13.

fluctus

fluctus quanta vi potest à se amouet, & ad imbecillam propellit, quo fit vt vegetior remaneat oppositâ plurimùm laborante, vt quæ hostem iam admiserit & cogatur adhuc præ imbecillitate porta iam patente & via strata recipere.

His sic dispositis, facile est intelligere, partem illam humoris morbifici à natura edomitam & propulsam, continuò in ipsamet lacuna ab omnibus oppositis venarum partis valentis anastomosibus originalibus depelli, & cum ad biuium peruenerit, potenter ad sinistros alueos protrudi, quæ est germana Galeni doctrina, *quia valentes non admittunt*, & quod docet etiam Hippocrates *influxum etiam facile à robore excluduntur*. *Lib. de Cur. R. per V. Sect. & nat. facult. lib. 3. cap. 13.*

At quid mirum hæc ita fieri? etenim si in morbi principio, magnoquè æstu sæuiente tempestate, totiusquè corporis turbatione, hostilem humorem potenter à se reiecerunt, quid mirum si tempestate sedata, fluctibusquè pacatis, hostem edomitum & fugientem ad fines suos appellentem alacriter & acriter propulsent? *Lib de nat hu. Sent. 1.*

Quis iam non videt talis euacuationis directionem, naturæ vincentis & totius gentilitatis & principatus esse opus, par-

tis affectæ nequaquam? Sanè hæc directa depulsio, partis sanæ & potentis secunda est & confirmata victoria.

Paralitico, lateris affecti è directo frequens à nobis conspecta hæmorragia, illiusne, inquam, partis pene extinctæ opus erit & directio? quo robore hæc fiat, quis bene, nisi vt supra explicet? Hepatici dextra hæmorragia frequens, sitne partis affectæ robore cui hepar ad extremam iam peruenit imbecillitatem? nunquid & hic & illic hæmorragia malum signum est ex mala causa? Vtero marem gerenti, sinistræ naris fluxus frequens, videbiturne partis sinistræ motio? quippe potius dextræ, cum hæc sinistra sit calidior, atque ideo potentior vt placuit Hippocrati post Parmenidem, qui mares in dextris partibus vt calidioribus generari asserit.

Lib. de morb.

Ergo quidquid humoris morbifici in lacunæ imperio & venis sanguifluis continetur, per hæmorragias criticè vacuari potest, parte potente opposita, per contrariam debilem illum per originales anastomoses dirigente, qui vero extrauasatus suppuratur, cum remeare non possit, per conuenientes ab Hippocrate & Galeno assignatas vias, etiam in directum ea-

dem

dem partium potentium directione expurgatur. Sic sanè bonus imperator, hostem in aliqua sui regni prouincia ferocientem à reliquis continuo arcet, cauetquè ne totum imperium depopuletur, nec per florentes & intactas prouincias illi viam ad exitum parat, sed per vastatas & calamitosas illum depellere contendit.

Quid ergo agimus dum æstuantem sanguinem per oppositam partem vacuamus? nempe principijs obstamus, & crises periculosas (quas Gardinus Erasistrati errore imbutus expectandas docet) minorata antecedente materia, citra vllum periculum anteuertimus, cui purgationes obnoxiæ esse possent, idque agimus Hippocratis dogmati consentanee, qui præcipit in acutis si quid mouendum videtur in principio moueri oportere, maximè si materia turget, addit Galenus etsi vrget, æstuat, ferociatur; Sic docet Fransf. Valesius cont. lib. 7. cap. 13. & Cappinaccius & Caprilius de feb. putridis, Mercurialis lib. de purgat. Altomarus lib. & quæst. *An in principijs?* *Aph. l. 1.*

Ex quibus luce meridiana clarius est, euacuationes criticas, nil omninò contra quam instituimus ad opposita reuulsionem

nem concludere: atque hic cum gratia monebo Clarissimum D. Remigium quondam præceptorem meum, nimis crudè in Gardini collegæ sui gratiam, contra hanc doctrinam sic conclusisse,

Anno 1632. Sep. 7. in Thesi Guilielmi Durãdi Burburgani.

Si verum ἐγτήριον phlegmonarum est hæmorragia κατ' ἴξιν, curationis quoque ipsarum ἡγεμονικὸν erit detractio sanguinis præscripta κατ' ἴξιν: Male ergo (vt voluit quidam licet ex hac schola velut ex equo troiano ad profliganda morborum agmina prodierit) in pleuritidis curatione secatur vena in latere opposito, seu aduerso, & non κατ' ἴξιν sed ἀνάπαλιν. ad quæ,

Dissimulata parenthesi, quæ decentius fuisset omissa, transeat antecedentis protasis & distinguendo apodosim, seu partem secundam: Dico venæ sectionem ad curationem phlegmonis non esse vniusmodi: Vel enim fit ad collectæ & coniunctæ materiæ in phlegmone euacuationem, sicut in statu fluxione sedata, & absoluta per Canonem 11. articuli 2. & eo casu venæ sectio deriuans & à parte affecta euacuans per κατ' ἴξιν criseon æmulam rectè fit, & verum est ἡγεμόνικον ἐγτήριον: Vel euacuatione causæ antecedentis fluxuræ & fluentis in principio, & si placet etiam in aug-

augmēto per Canonem 8. articuli 2. quod fit reuulſione ad oppoſita per κατ' ἴξιν ex Canone 5. & 6. quæ præcedere debet eam quæ coniunctam materiam euacuat per Canon. 9. & ſic Reuulſio ad oppoſita, eſt etiam ἡγεμόνικον ἰαμήριον cauſæ antecedentis, qua diſtinctione falſitas concluſionis fit euidens, nec malè quidam aſſeruit in principio pleuritidis oppoſitam ſectionem fieri κατ' ἴξιν καὶ ἐπὶ τοῖς ἀναπάλιν, καὶ καλῶς. quæ doctrina diſtincta eſt & clara, nec vt præcedens confuſa, ex qua ſequuntur abſurdiſſima ſequentia,

Humor in phlegmone collectus in ſtatu rectè maturantibus emplaſticis ad ſuppurationem vertitur, ergo in principio vel augmento, malè quis repellentibus & rarefacientibus vtitur ſicut Hippocrates acutor. 2. ſed continuò ad emplaſtica tanquam ad ſacram anchoram confugiet.

Phlegmonem iam pure maturo, puris per partem euacuatione abſceſſus ruptura, natura vacuare, & iudicare ſolet; ergò malè quis in principio phlegmonis materiam influentem, repellere, diſcutere, intercipere & longè à parte affecta reuellere tentabit, ſed continuò per ipſam partem affectam inciſſione facta, influxam ma-

teriam crudam etiam & incoctam vacuabit. Damnosa sanè, quæ ex Remigij conclusione elicitur doctrina.

Vera igitur hæc. Si reuulsio quæ fit per venæ sectionem in pleuritidis principio non regulatur per prætensam κατ'ἴξιν criticam, sed contrario modo (quod probatum est) se habet, reuulsiuum ἡγεμόνικον ἰηΐήριον non erit sanguinis detractio κατ'ἴξιν criteon; sed κατ'ἴξιν ἀνάπαλιν.

ARTICVLVS VII.

In quo directam, sicut & saphenas secantium argumenta, & rationes examinantur.

QVoniam Mathæus Curtius primus directæ sectionis fundaméta iecit, illius rationes primas examinari æquum est, nam & huius doctrinæ inuentor fuit, etsi Fuccius & Galli quidam nouis rationibus adductis, eam inuenisse videri velint.

Igitur Curtius Coment. 34. in Mundini anatomiam sic scribit. *In pleuritide vena eodem latere melius secatur quam opposito,*

to, quia cum venæ quæ oriuntur ad nutriendum costas sint supra cor, & ipsum cor maxima vi ingentem quantitatem sanguinis ad se trahat, si vena secetur ab eodem latere, non erit timendum ne materia ad locum vbi affectus est, affluat, quoniam eam deorsum ad se cor trahit, præsertim cum in corde duo sint illi ventriculi aures, vena arterialis & arteria venalis & aorta, per quas potest eas materias expellere ne ad locum affectum perueniat. Sic posita doctrina cap. 35. quærit, *Quomodo in pleuritide venæ sectio plus à loco affecto vacuat?* Resp. *ex vena ascendente plures fiunt rami* (intelligit lacunã) *ex quibus proflnit sanguis qui affectum generat; Si igitur sanguis retrocedat euacuanda est vena à qua rami ij oriuntur, melius igitur ab eodem latere expurgabitur, ita enim humores qui ad nutriendas costas veniunt diuertentur; Quod si ex opposito latere euacuare volueris, non ita diuertes quoniam ibi plures sunt venarum germinationes, sanguis ex vena magna* (id est lacuna) *succederet, non ex venis paruis quæ costas in affecto latere nutriunt, etenim qui dolorem aliquem vult diuertere, auertat oportet & materiam ex qua dolor ille gignitur.*

Ad primum, dico futilem omninò hu-

ius directæ sectionis rationem offerri, eo fine vt obuiam eat obiectioni Arabum & Græcorum, qui ea sectione fluxionem ad partem affectam proritari asserebant, quia cum cor ab vtroque latere æquidistet, si sanguinem ex lacunæ parte superiore attrahat, non refert hac de causa vtra secetur basilica, imò minus erit timendum cæteris paribus, si opposita secatur in principio morbi, quod si procedente morbo quando iam vitiosus factus est sanguis fiat venæ sectio, cor nullo modo ad se trahet, sed potius ad ignobilem & affectam depellet, perpetuâ Galeni doctrinâ, si enim tunc traxerit & per venam arterialem & arteriam venalem ad pulmonem protruserit, pulmonis phlegmone sequetur, conduplicato morbo & priore magis lethali.

Nat. facult. lib. 3. cap. 13.

Vult ergo cor reuulsionem ab azygota & intercostali & mamillari & thoracica moliri, interea temporis dum directa sectione, qui in affecta est parte sanguis, per venas ab subclauia & axillari productas, & earum anastomoses & cæcas vias vacuatur: inanis sanè ratio quæ directæ sectionem omninò periculosam esse demonstrat, si cor hæc quæ fingit agere debet, ne ad partem affectam effluat sanguis.

Ad

Ad ſecundum & quæſitum, dico non diſtinctè quæſiuiſſe, quomodo reuulſio antecedentis cauſæ à parte affecta facienda erat, & quomodo ex eadem affecta parte coniuncta materia eſſet euacuanda, quod paradoxam doctrinam ferenti faciendum erat. Cum enim dixit plures eſſe ramos, per quos fluit ſanguis abſceſſum generans, per quos fluat non diſtinxit, ſolum docet vacuandam venam à qua rami ij oriũtur, quaſi per intercoſtalem & mamillares, aut thoracieam fieret pleuritis, quæ à ſubclauia & axillari oriuntur,(licet ſæpe deſit intercoſtalis,)non vero ab azygota, per quam tamen vt plurimum periculoſiſſimæ fiunt pleuritides.Nec verò docet quam venam tunc ſecare poſſes, quod autem oppoſita ſectio ab oppoſitæ ſubclauiæ ſtolonibus vacuare poſſit, ſicut & ab azygota, oſtendemus cum ſimilia obijcienti Gardino reſpondebimus.

Nunc autẽ ſatisfiet,ſi dicimus quæcumque hic adfert Curtius,de confirmat. iam affectu, cum congeſtio iam facta eſt & fluxio ceſſauit enuntiari, & ſic rectè concluſiſſe, nam & materiam coniunctam euacuare ſatagit; *Cum doloris quod ait leuamine ex venis paruis, quæ coſtas in affecto latere*

latere nutriunt, idque per ortas à ſubclauia venas *ſi ſanguis iſte retrocedat*, in quo eſt nodus & probari debebat. Et quamuis adeo crudè & indiſtinctè hanc nouam opinionem propalarit Curtius, hanc tamen qui Italicas ſcholas adierant Germani & Galli nouitatis ſtudio in patriam retulerunt & nouis rationibus colluſtrarunt; Quorum argumenta & rationes iam aggrediemur, & primò Fuccij, qui paradoxo ſuam fecit, & primò arguit ex Hipp. de Vict. acut. lib. 2.

Si dolor ad clauiculam pertigerit aut moleſtus ſit brachio, vel mammæ, vel partibus ſepto ſuperioribus grauitas adſit, internam cubiti venam ſecare expedit, & lib. 4 ab eadem ſcilicet parte qua dolor fuerit, neque vt copioſe ſanguis detrahatur eſt cunctandum, ſed eo vſque auferendus, donec rubicundior multo, vel pro puro rubidoue liuidus fluxerit.

Reſpondetur hic Hippocratem vacuationem mixtam inſtituere ex reuulſione & deriuatione compoſitam, ſeu potius à parte ipſa euacuationem, dum ad coloris vſque mutationem vacuat, quod contingit alterato iam per moram in abſceſſu ſanguine, in ſtatu & fine augmenti, quod ſic eſſe notatur ab Hippocrate, grauitate

con-

coniunctæ materiæ & suspensione, sicut in cōmentario explicat Galenus, & maximè si clauiculis & brachio esset molesta, quia tunc eiusdem lateris basilica commodissimè coniunctam euacuaret materiam, dummodò semper affluxionis desit periculum, antecedente prius per reuulsionem ad opposita rectè vacuata materia. Vnde locus hic nil concludit contra reuulsionem quæ fit in principio, quo tempore sanguis necdum est alteratus in parte affecta, nec reuulsio contendit ab affecta parte vacuare, per Canon. 7. Art. 2.

Secundò. Hippocrates lib. 1. de morbis. *Lienaritm vocatam venam vel iecorariam secare expedit, qua morbus fuerit, sicque dolor lateris & aliorum leuatur.*

Respondetur ἀποκινώσει non reuulsione id fieri per Can. 9. Art. 2.

Tertiò, ex Galeno de curandi ratione per venæ sect. cap. 14. *Quibuscumque κατ᾽ ἴξιν hæmorragiæ accidunt, summum id commodum laborantibus adfert, hoc autem κατ᾽ ἴξιν* ὅτι κατὰ εὐθὺ λέγει *quod in rectum intelligatur omnes confitentur, cum sæpè vtatur ea voce in hoc significato, non enim liene tumente à dextra nare erumpens sanguis, nec in iecore è sinistra, aliquam fert vtilitatem (sed reuulsio*

uulsio quibus in directum adhibetur euidentem vtilitatem celeriter ostendit, quibus contra haud etiam) dextra igitur nare sanguis erumpens ad dextrum hipochondrium fixa cucurbitula, clarè celeriterque sistitur, sicut ad sinistrum ex sinistra erumpens, porrò si reuulsionis causa venam seces in directè quidem sanguinis eruptionibus, citissimè conspicuam videbis vtilitatem, si contrà seces, haud etiam.

Dico primò, locum hunc esse mendosum, quod & alij notarunt, & legendum: Non enim liene tumente à dextra nare erumpens sanguis, nec in iecore è sinistra, φέρει τινὰ ὠφέλειαν, ὅτι ἐν τάχει δείκνυσι & sensus erit bonus, parenthesi verò inclusa reijciuntur, vel loco ἀντίσπασις legendum κένωσις vt postea cap. 16. iuuat celeriter lienem affectum κένωσις, mendosa enim essent ista, nec Galeni theorematibus conformia.

Dico 2. Hippocratem πολλάκις hac voce vsum in eo significato, fortè ex erroneo fundaméto de venarum distributione lib. de nat. hum. & de ossib. sicut articulo 6. notauimus: Ex qua κατ' ἴξιν acceptione non satis explicata, Clarissimus D. Remigius, quod illius gratia dicam, malè conclu-

fisse:

ſiſſe videtur,

Pleuritidē nō curabit, qui κατ' ἴξιν ignorabit. Malè, inquam, ſi hāc vocem perpetuò accipit in eo ſignificato, quo Gardinus & directè perpetuò ſecantes, nempe illi pleuritidem rectè, & tutò non curabunt, qui quot modis κατ' ἴξιν ab Hipp. & Galeno dicatur non ſunt aſſequuti. *Theſi vulgata ãno 1633. Iulij 16 defendente Simone le Sec.*

Dico igitur, quod hæc vox, nō duntaxat eam quam Remygius, Gardinus & aduerſarij tenent acceptionem habet, ſed & alias quæ interpretem omnia ſcrutantem latere non poſſunt.

Directam ſecantes, per eam vocē, dicunt perpetuò intelligi rectitudinem eiuſdem lateris, ſcilicet partium ſuperiorum cum inferis, ita vt hæ duntaxat inter ſe ſic cōmunicent, ſuperiores verò, ſcilicet dextræ cum ſiniſtris non item, inferiores tamen ſiniſtras cum dextris inferioribus ſic etiam ſociari concedunt, & in eo omnes conquieſcunt, nec quidquam aliud per eam vocem intelligi volunt.

Contrà, oppoſitā ſecantes per hāc vocē non duntaxat eiuſdem lateris communionem intelligunt, ſed etiam inferarum inter ſe, & ſuperiorum ſimiliter, dextrarum ſcilicet cum ſiniſtris, & vice verſâ, idque

per aphor. 24. Art. 2. & aph. 16.

Præterea & in directis maiorem & minorem à Galeno assignari societatem aiunt, ita vt proximior sectio loco affecto, magis κατ' ἴξιν vacuet, sic internas in pede magis quam externas in eodem diametro positas, communicare cum vtero statuit, ex quo elicitur, quod vicinior communio, supponit aliam per maiorem distantiam.

Directam perpetuò secantes & κατ' ἴξιν non distinguentes suam sumunt probationem ex Galeni loco supra citato: ex quo loco distinctè intellecto: Dicimus nos oppositam secantes doceri Hippocratem & in alio significato ea voce vsum & fortè sæpius, quippe qui dicit sæpè id contigit, videtur supponere sæpius accidisse cótrarium, dum autem Galenus scribit, *Demonstratum à nobis est sæpe ab Hippocrate dictum fuisse quod partes κατ' ἴξιν sitæ necessario plus inter se communicant*, docemur & alias non sic sitas etiam communicare, nam ly comparatiuum supponit aliam & magis vniuersalem communionem, scilicet eam quæ fit per transuersum per aph. 24 & 16. articuli 2. Quam doctrinam confirmat Galenus inquiens κατ' ἴξιν

Therap. lib. 14. cap. 7.

Coment 10. in lib.

τῆξιν ἀεὶ τὴν ἐυθυωρίαν ὀνοάζει ποτὲ μεν κατὰ τὸ μῆκος τȣ͂ σώμαζος, ἐςὶ ɗ᾽ ὅτε καζὰ τὸ πλάζος, *Hipp. de fract.* quā per corporis transuersū cōmunionem professus etiam est ther.lib. 10 cap 3. Nec mirum, illā enim ἐυθυωρίαν lib. 2. ad Glauc. *Ad Glau. Philos.* cap. 2. per ὁμοζυγίαν interpretatus est, vbi dum docet quomodo medendum sit membris extremis patientibus scilicet pede vel manu, inquit, ἀπὸ τῶν ὁμοζύγων κένωσις, ἐιτ ἀντίσπαν, ἐιτε παροχετέυειν ἐτίλοις, & vno pede dolente alterum secat: Hinc pleuriticā *Th. 13. cap. 5.* venam, quoniam coniuge caret azygon vocauit, vtriusque autem cruris & pedis venæ, ὁμόζυγαι fiunt in lacunæ parte inferiore per iliacos alueos, sicut & brachiorum & manuum per subclauios in eadem lacunæ parte superiore, quibus azygota æqualiter communicat si anastomoses originales spectes, & communes vias per quas Gal. hæmorragias narium reuellit aph. 22. Articuli 2. qualis est etiam communio & arteriarum ὁμοζύγια in lacuna arteriali, quæ communio est vitalium & naturalium organorum, quam Galenus docet Erasistrati dogma confutans, vbi vna subclauia vacuata & op- *Lib. an sang. in art. c. 4.* positam vacuari asserit, vnde communio κατῖξιν quoad venas & arterias, non exclu-

dit communionem oppositam.

At verò, si animalium instrumentorum communionem adiunxeris, quæ mouendi & sentiendi sunt organa, profectò dextras partes superiores cũ dextris inferioribus, magis quã superiores inter se & magis κατ’ ἴξιν consentient, quoniam non solum per venas & arterias communicabunt, sed etiam per neruos sentiendi instrumenta, quorum alia omninò est quam illarum distributio: Illi enim à summo ad imum bipartito agmine descendunt; ita vt nulli à dextris in sinistras partes, nec ab his ad illas transcurrant, quo fit vt in doloris ratione partes è directo sitæ secundum lõgitudinem magis inter se κατ’ ἴξιν socientur, seruatis oppositis illæsis. Arteriarum autem & venarum alia omninò est ratio, & cõmunio, quippe cum à lacunis omnes oriantur, quæ in corporis meditullio principatum obtinent, æqualiter omnes cum illis & inter se communicant, sicut intellexit ad Glauc. 2. Galenus τὸ γὰρ κατ’ ἴξιν, οὐκ ἐστὶ τὸ κατ’ ἰσότητα quod est etiam ἔνθεν καὶ ἔνθεν Hippocrates lib. de fract. vnde fit, quod pars paralytica non moritur etsi sensu motuque priuetur.

Ex hac communione oppositam secan-

tes docentur partes è directo sitas (quoniam per sensoria organa communicant) principe parte aliqua dolente necessario omnes condolere, debiliores fluxioni hostili obnoxias fieri, oppositas his calamitatibus non affici, valentes esse, & continuò peregrina & inimica à se ad imbecilles & afflictas propulsare: Quod animaduertit Ioubertus demonst. 9 dec. 1. paradox. estque Galeni constans doctrina à nobis sæpius notata, cuius ratione ibidem docet in parte corporis debili sectiones non esse faciendas; vnde sic concludimus contra D. Remigij thesim. *Facult. nat. lib. 3.*

Pars corporis affecta in qua pars aliqua princeps graui aliquo affectu affligitur, tota secundum longitudinem à capite ad calcem compatitur & morbosior redditur atque imbecillior, quarè in ea sectio non est facienda, nec ad eam humores morbifici turgentes & æstuantes vllo modo sunt prouocandi, sed omninò in opposita parte sectio facienda est, & per illam fluxurus & fluẽs ad partem affectam (*v. g.* in pleuritide) sanguis reuulsione est vacuandus ἐπὶ τοῖς ἀναπάλιν, καὶ κατ' ἴξιν Quoniam vt notat etiam Sennertus, *Cum sit reuulsioni proprium in contrariam & di-* *Inst. l. 5. p. 2. S. 1. c. 18.*

distantem partem reuellere & contrarium humori motum conciliare, eiusque munus sit non quod influxit distrahere, sed quod influit reuocare, venæ quæ Reuulsionis gratiâ aperiuntur potius cum parte mittente, quam cum recipiente communicent necesse est, per Canon. 6. Articuli 2. *Ita enim ad principium sanguinem fluentem reuocamus & ad locum vnde fluit retrahimus & contrarium ipsi motum conciliamus. Venas nimirum hic eligere debemus, quæ sunt à parte affecta remotæ & cum mittente communionẽ habent idest quæ è directo parti affectæ opponuntur, vel secundum lõgitudinem, vel secundum latitudinem, vt si pars affecta sit infra* v. g. *in ischiade in cubito vena aperienda, Si verò pars affecta sit loco superiore* v. g. *latus dextrum, in opposito cubito vena secta reuellit, quæ si à parte affecta non euacuet, nil refert, neque enim reuulsionis est à parte affecta vacuare, ita enim κατ' ἴξιν reuellimus & ἰθυωρίαν Galeni seruamus, quæ nil aliud est quam directio quædam meatuum per quam humores ex parte vna in aliam commodè fluere possunt, quos natura non vniusmodi fecit, sed alios secundum longitudinem, alios secundum latitudinem.* Vnde manifestum fit quod qui oppositam secat is κατ' ἴξιν reuellit licet ἀνάπάλιν.

πάλιν. Clarissimi igitur Remigij conclusionem explicans, iterum concludo,

Pleuritidem tutò non curabit, qui omnes κατ' ἴξιν acceptiones non benè intellexerit, multò minus qui eam rectitudinem, per motus criseō perpetuò regulabit.

Ad reliquum loci citati, dico exemplum cucurbitularum nil facere ad probationem, cum enim agamus de reuulsione quæ fit vacuatione antecedentis materiæ, hic sistaticum parti affectæ, siue fonti fluxionis applicatur remedium, vnde dixit σύκία σαφῶς ἵστησι. Neque verò vacuationes è directo ad sistendas hæmorragias sunt propriè reuulsiones, sed à fonte ipso abuacuationes per Canon. 3 Articuli 2. vel ad summum interceptiones: In vniuersū falsum est, quod ilicò sanguis sistatur secta directa, vel appositā è directo cucurbitula, nam & sæpè contrà accidit etiam post repetitas sectiones & cucurbitulas, & deligaturas, & contrà sæpè expertus sum & commodè experietur qui volet, oppositam sectam etiam hæmorragiam sistere, affixa è regione hepatis cucurbitula, si sinistra nare fluebat sanguis; Porrò quod dextræ iecorariæ sectio nullam in splenis phlegmone adfert vtilitatem, contra omnem est

est rationem & experientiam præcipuè si sit phlegmonis principium, quia vt notauimus Articulo 6. splen non communicat cum basilica sinistra nisi mediante iecore & lacuna, hinc & cum dextra communicet necesse est.

Nec valet, hãc absurditatẽ eluere conatus, quod ait Valesius, *extremitates esse partium internarum emunctoria quibus è directo respondent*. Commentum enim istud in maiores nos conjciet angustias, nam supra Articulo 6. probauimus & autopsia anatomica declarat, nullas venas à splene ad manus, aut ab his ad illum peruenire, nisi communione iecoris & lacunæ, tum quod magis vrget emunctoria sunt extrauasatorum humorum per ἀπόστασιν, aut μετάστασιν à natura criticè vacuatorum & depulsorum receptacula, qualia sunt inguina hepatis, axillæ cordis, partes colli, & aurium regiones, cerebri; in quibus videre est extrauasatos humores vt alienos depelli à superioribus ad inferiores, quæ est natura extrauasatorum humorum vt decliuia semper loca petant, qualiter & in macrocosmo siluestres aquæ faciunt: At hic splen per longas admodum vias sursum pelleret, & quidem per nobiles partes

Controu. lib. 7. c. 4.

cum

cum interim habeat plurimos ramos, quibus per intestina & vrinas eiusmodi superflua expurget, & certè Hippocrates dubitauit an eiusmodi transpositiones per anadosim essent laudabiles. Populo 6. coment. 2. sect. 13.

Quarto ex Gal. *Fluentium humorum reuulsio, eorum autem qui iam membrum occuparunt, deriuatio medela est, vtrumque autem euacuationis genus per communes vias fieri præcipit, veluti in contrarium trahes in vtero, si eam quæ in cubito est venam secueris, aut mamillis cucurbitulas apposueris, & crura calfeceris, fricueris & ligaueris, deriuabis, si eas quæ in poplitibus, sunt aut tali venas diuiseris & cucurbitulas coxis apposueris, & crura calefeceris & ligaueris, & fricueris, & si quidem pars dextra vteri fuerit affecta, ex dextra manu, aut crure sanguinem detrahes, si vero sinistra à membris quæ illi è directo sunt.* Ad Glau. cap. 7. l. 2.

Dico 1. theorema illud Galeni vniuersale esse verum, & in exemplo esse reuulsionem secundum corporis longitudinem, quæ non excludit alias contrarietas reuulsionum, communes venas hic intelligi sanguifluas maiores, lacunam scilicet & eius maiores ramos, non capillares & ferruminatione iunctas, patentes vias, non occul-

Parad. 9. dec. 1. occultas anaſtomoſes ſicut rectè notau Ioubertus & doctiſſimus Sennertus.

Dico 2. quod & hanc reuulſionem ad mittimus per aphor. 24. & canonem 2. Ar ticuli 2. & cum difficile ſit ſcire vtra pa vteri malè habeat, imò vix poſſit fieri v nam duntaxat eius partem dimidiam ſummo ad imum malè affici oppoſita v lente, quoniam vteri corpus nullo medi aut interſtitio diſtinguitur, parum refert videtur ad reuulſionem vtram ex ſuperio ribus ſeces, præſtaret tamen oppoſita ſi corpus plenum fuerit propter ration ſuprà allatas.

Quinto arguunt ex Gal. de C. R. Venæ ſect. cap. 15. *Quin & in pleuriticis directo κατ' ἰξὺν laborantis lateris ſanguin miſsio, efficacißimam ſæpe vtilitatem att lit, ex oppoſita autem manu, aut omninò o ſcurã, aut poſt temporis interuallum* & poſte *Sic interdum efficax, celereque remediu κατ' ἰξὺν quæ è directo partibus affectis v næ ſecantur afferunt, vt & qui patiunt & familiares ſæpè obſtupeſcant.*

Qui locus antequam explicetur; Notã dum eſt, quod canone 3. Articulo 2. etia docuimus, Galenum in praxi, ſæpe à ſu theorematibus vniuerſalibus deflexiſſe. S

lil

p. 13 th. cap 11. ex hypothesi longissi-
è reuellere docens à parte quæ fluxione
ntatur, paulo post ad particularia des-
ndens & praxim, Renibus & vesica &
ıdendo phlegmone laborantibus infe-
ores secat sine distinctione: & cap. 6. eius-
m lib. *Si mulieri inquit in vtero, aut pu-
ndo phlegmone insederit, ad partes quæ
ximè longinquæ sunt reuulsionem facies.*
uod & loco quem sumus iam explicatu-
præcipit. At lib. de C. R. P. Venæ sect.
euulsionis termino & voce abusus infe-
rum sectione reuellit sic enim, ὃ μόνον ἀν-
ϲπᾶσαι ἀλλὰ καὶ προτρέπειν ὑπάρχει τὰ κα-
μένα non solum reuellit sed etiam men-
prolicit contra Canon. 9. Articuli 2.
lib. 13. ther. cap. 11. in lienis phlegmo-
secat in manu cap. 5. in altero crure, ad
ulsionem; Quæ rectè perpedens Ferne-
s epistola ad D. Melınum, *ea est,* in-
it, *in scriptis Galeni tanta varietas, tan-
inconstantia, tanta plerumque discordia
vix quisquam illius hac de re sententiam
assequutus.* Atque ideo Auerroes lib.
ollec. 7. cap. 29. irridet Galenum, quod
ud docuerit in sermonibus vniuersali-
s, aliud opere exequatur; facti tamen
ionem sibi conscius reddit Galenus &

se

se purgat ad Glauc. lib. 1. cap. 1. scribens *Cum ad rectè medendum plurimum conferre & temporis occasio & auxiliorum quantitas videatur, nil autem proprium possit sermone explicari, quod commune est cogimur scribere, non tamen propriam singulorum naturam æquè atque communem possibile est scribere, verum scripta contrario modo se operibus habent* & lib. the. 13. cap. 11. *Si quidem quod vacuandum sit id communis indicatio est, vnde autem & quomodo sit facienda, id æger ipse docet locus. Vacuationis igitur diuersitas pro particularum varietate variatur, constatque communem indicationem* (quod benè notandum est) *non magis esse vtilitatis, quam noxæ causam:* ideo perpetuò monet Hippocrates, *medici sint solertes oportet, ad tempus appositi, occasionem arripiendam accommodati.*

Lib. de dec. ornat.

Quam praxeos à theorematibus vniuersalibus discordantiam & disconuenientiam, Iuan Huarte, paucis sic probauit scribens, *Ninguna vez lega el medico à conocer y curar qualquiera enfermedad, que tacitamente dentro de si, no haga vn silogismo en* Darij *aunque sea empirico: y la primera de sus præmissas, pertinesce su prouacion al entendimiento, y la segunda, à la y ma-*

In exam. de ing. cap. 11.

natiua. Y asi los grandes Theoricos, yerran ordinariamente en la menor, y los grandes practicos en la mayor, Quæ cum ſint veriſſima, multo profectò maior occurret ſcribenti de particularibus & vniuerſalibus difficultas, & ſæpiſſimè eum errare contingeт, qui volet infinitos particulares caſus ſe ipſis omninò differentes per vniuerſalia illa præcepta determinare, quod toto eo capite acutiſſimè probat & ſolidè dictus Huartes: Vnde nemini mirum videri debet, ſi ipſe Galenus aliter in praxi egerit, aliter in præceptis vniuerſalibus docuerit; ſed his per tranſennam deductis, locum Galeni ſupra citatum explico &c,

Dico 1. ſectiones illas non fuiſſe reuulſiones, ſed propriiſſimas eſſe deriuationes, quia vt ipſe fatetur Galenus, vt plurimum poſt ſeptimum vocabatur, reuellendi occaſione præterita, neque verò ſemper ſic etiam in ſtatu, aut prope ſtatum contigit, ſed ſæpe, ſic

Sæpe etiam eſt olitor valde opportuna Locutus.

Ad cætera (quod fecimus etiam in Parænesi noſtra prima, & apologia) ſic reſpondet Sennertus. *Interim ſi artis opera artificioſam medicationem ſpectemus, magna* *Inſt. cap. 18. l. 5.*

etiam

etiam est reuulsionis ex opposito latere vtilitas, etsi æger mox eam non percipiat, neque ea sola malo leuetur. Similiter ferè respondet Altomarus. *Cap. de Pleur.*

Cap. 2. ad Glauc. lib. 1.

Porrò & huic praxi contradicit Galenus scribens, *cum magno dolore fluxu incidente, non oportet neque oleum, neque calidam afferre, hæc enim omnia rheumaticis dispositionibus aduersantur, quamuis ab initio aliquid iuuare videantur, semper enim fluxionis motum ad contrarium trahere expedit, & ea apponere oportet, non quæ trahere possunt, sed quæ repellere, sufficit enim in quibusdam doloribus vehementiam mitigare.* Ex quibus manifestum fit dolore vrgente, quod docet & clamat Gardinus, non oportere medicum directa sectione conari coniunctam materiam euacuare ad omnimodam doloris sedationem, sed sufficere, dolorem aliquomodo, etiam post temporis interuallum leuare, dolores autem augeri docet quamdiu fluxio irruit, quo tempore opposita sectio non nisi vtilis esse potest per Canon 8. quæ confirmans Iul. Gustauinius inquit, *Etsi à principio non sit conspicua & populo obuia vtilitas, quia tamen postea illud tutò sequuturum est, secundum rationem agenti, non curandum*

Loc. Med. Selec. cap. de reuul.

randum, si non tam citò & manifestè fiat non enim per initia effectum expectare debet peritus artifex, quem diutius protrahendum esse præuidet, & in eo ab imperitis differt & vulgo, si hæc illis prædixerit; Neque enim in adsistentium gratiam, qui præpostero desiderio festinant, oportet medicum solertem curationem peruertere, sed ægri saluti consulere, & dignitatem suam sibi & imperium retinere, futura prædicens, quæ pernici cogitatione assequutus est.* Quæ confirmans ipse Galenus concludit, *Rationabiliter igitur iuxta indicationem remedijs vtemur, etiãsi nihil efficere in principio appareat.* Quæ doctrina manifestè concludit, allatum locum, nihil omninò contra quam instituimus in principio pleuritidis ad opposita reuulsionem facere, etsi malum subitò non leuet, sicuti Galeno in statu è directò secanti sæpe contigit.

* Præstãtis medici caracter.

Lib. 2. de compos. med. se loc. c. 1.

Sextò ex Gal. de vict. rat. in acut. lib. 2.
Cum igitur partium superiorum condolentia signum fecerit, venam in cubito secare eam oportet, quæ sanguinem ab affecta parte & magis & velocius, tum reuellere, tum vacuare possit. & paulo post.

Nos autem partem eam quæ phlegmone obsidetur, tum celeriter, tum quam cæteras

partes, plus præsertim in acutis morbis vacuare contendimus, quod sanè interna cubiti vena facit, multoque magis vbi sanguinis redundantia ad superiora vergere videatur, aut superiores thoracis partes affectæ sunt.

Dico 1. ista semper sano modo intelligenda, & sic agendum fluxione sedata, alias hæc praxis contradiceret doctrinæ vniuersali. Vnde,

Dico 2. hic agi de vacuatione mixta, quæ reuulsio non est per Canon. 9. quod indicat termini, ἀντισπᾶσαι τε καὶ κενῶσαι.

Dico 3. quod vbi affectus duplicem præbuerit indicationem, non semper vtrique indicationi simul satisfaciendum: Sed cõsiderandum si tutò id fieri possit, monente Galeno; *Minus auxilium præstat et quod potentius est, si minus sit tutum, quare Hippocrati morem gerens in hoc te exerceto, in morbis vt prosis, aut ne quid noceas.* Sic cum venæ sectione & purgatione æger opus habet, vena secta pharmacum in sequentem diem transferimus. Sic in Angina Galenus primò venas in manu secat, post eas quæ sunt sub lingua.

Th. 3. cap. 7.

Th. 5 cap. 11.

Cum igitur morbus est in principio atque etiam augmento, duplex se offert occasio in materiæ vacuatione, scilicet

con-

coniunctæ, quæ in parte affecta dolorem concitat, & antecedentis, quæ in lacuna & maioribus eius alueis æstuat, fluit & fluere minatur, illam directa sectio rectè demit, per Canon. 11. has distantior & contraria per Canon 8. Articuli 2.

Quam medendi methodum necessariam, vt tutissimam docet post Galenum Fernelius. *Causa omnis*, inquit, *priusquam effectus methodo recta submoueri debet, nam contra si adnitaris, quantum huius ademes, tantundem antecedens causa proferet, atque licet affectus interdum leuior euadat, minimè tamen succedet perfecta curatio*, Nempe causa antecedente nouam continuò materiam suppeditante, *Quocirca causam primùm* (scilicet antecedentem) *genitus deinde affectus* (quod in causæ coniunctæ ablatione consistit) *submouendus; ita enim radicitus extirpabitur, ni vt deinceps eius repullulet*, Th. lib. 1. cap. 4.

At ô bone Ferneli, cur causas morbificas sic oporteat ordine demere, nobis amplius edisere:

Quia quum longior quædam continuatio, seri (que causarum existat, in qua alia ex alia nasci & existere & omnes inter se a. tæ connexaque videbuntur, suo quaque ordine

demenda erit, ab ea curationis ducto exordio, quæ ortu prima, inuestigatione postrema fuerit inuenta, ab hac verò ordinatim ad cæteras, postremum ad morbum progressus fiet. Sed Ferneli malum vrget, dolor hominem præmit, leuamen postulat, celeriter vacuandum simul & reuellendum suadet Galenus, Quid tum? *Methodi atque ordinis conuersio, non modo nil ad curationem proficit, sed & plerumque morbum conduplicat, cum enim persistente causa* (scilicet antecedente) *de morbo* (id est coniuncta materia) *nonnihil substrahitur, licet nonnihil fortasse sibi æger leuatus esse videatur, mox tamen pari ferocitate morbus repetit, atque etiam interdum maiore. Ergo vrgente quouis etiam symptomate, quamdiu virium robori fidimus* (vt in pleuritidis principio) *methodus tenenda est, nec contra artis præceptum, in ægrotantis gratiam vni symptomati vacandum.* Sit hic ergo contra Gardini decretum sequens conclusio.

Orat. 4. pag. 54.

Non igitur vrgente pleuritide, & fluxione ferociente cum magno dolore, vel vt ibi scribit Gardinus, *actu vehementer affligente* statim & semper, eiusdem lateris basilica secabitur, vt subitum leuamen sequatur, ne doloris sæuitia oppressus

Decreti Cōclus. 7.

(quod

(quod obijcit) intereat æger. Quippe & doctè, doctus hanc quærelam soluit Iul. Scaliger inquiens, *Cum pleuriticus eodem die, vel paucis horis mori non possit, rectè ex opposito brachio reuulsione fluentis & fluxuri sanguinis celebrata, sequenti die vel paucis post horis, tutò deriuationem & à parte affecta euacuationem directa sectione instituemus*. Et hinc nascitur altera contrà Gardini dogma conclusio: Quæ talis est,

Coment. in lib. de Insom. Hipp.

Orat. quodlibet 1. p. 15. & orat. 4. pag. 54. & 57.

Nullo modo ad saphenas recurrendum docet Galenus allegata sententia, ne quod timet Gardinus, sanguis in azygotam attrahatur, opposita sectione; Nempè Galenus hic basilicam secandam docet, maximè si sanguinis redundantia ad superiora vergere videatur, μᾶλλον ὅταν τὴν ῥοπὴν ἄνω τὸ πληθύαζον ἅμα φαίνεται ποιούμενον.

Nos ergo oppositam prudenti consilio secamus, quæ fluxurum & influentem (fatente etiam Gardino) sanguinem ab exortibus intercostalis, mamillaris, & thoracicarum (per quas etiam pleuriticam fluxionem fieri contendit) reuellere potis est.

Pag. 14. orat. 1 & 56. orat. 4.

Replicabit quis cum Fernelio & Fuccio. Sed quid opus tot sectionibus ægrum torquere, quem possis semel malo leuare?

Resp. Fuccium non sibi constitisse, similiter nec Fernelium, & quæ præceptis vniuersalibus docuerãt, in practico vsu reprobasse: Hic renibus, aut pudendis, aut his vicinis partibus phlegmone laborantibus, reuulsionem primò ex parte superiore instituit, deinde ad saphenas confugit, idque agit proritandæ fluxionis metu & *merito* inquit; *Quia si quis temerè ab initio hoc experiatur, fluxionis impetum & phlegmonem augebit*, hic igitur obliuiscitur doctrinæ suæ cap. 5. lib. 2. vbi medici consilium omne dirigit, *vt à loco phlegmone occupato plus sanguinis ac celerius, quã à cæteris partibus hauriatur*, & ideo ait, *ampla vena finitimo loco secanda est*, & sanè eodem cap. partibus subter renes, malleolorum sectiones addixit.

Lib. 2. th. cap. 7.

Sed cum ad nauseam iam à Galeno edocti simus, partem affectam, etiam citrà plethoram à partibus oppositis valentibus & distantissimis fluxionem recipere; Nos etiam & citra plethoram, oppositam sectionem multùm & tutò prodesse posse concludimus: Quoniam & fatente eodem Fernelio. *Vena opposita loco tusa fluxionis impetum sistit, nonnihilque vi reuulsionis, ex affecta parte reuocat*, quod perpetuò negat Gardinus.

Th. 2. cap. 6.

Ad

Ad secundam loci allegati particulam.

Dico Galenum in praxi non sic perpetuò egisse: In vteri inflammatione contrà sentit, vbi superiores secat & cap. 94. art. med. docet prius plethoram euacuandam & à parte reuellendum, quam ex parte vacuandum conformiter Canoni 9. Articuli 2. Lib. de C. rat. p. V. Sect. 4. 18.

Instabis cum Fuccio & Fernelio. Opposita sectione bonus duntaxat sanguis vacuatur, & putris à phlegmone in lacunam reuocatus puro sanguini permiscetur, & sinistram pleuritidem inuehit, sicut etiam obijcit Gard. orat. 4. quodlib. pag. 76. Fernel. 2 th. cap. Fuc. in inst. lib. 2. Sect. 2.

Respondeo, negato antecedente, & concesso, bene esse quod putris humor tali sectione in lacunam reuocetur, quia sic, quod negant, opposita sectio potens esset à parte affecta vacuare, facile enim in lacunam reuocatum & puro sanguini permixtum foras eliciet promiscuè, quod fatetur in omni sanguinis missione fieri Fernelius: Quod si promiscuè sic vacuatur quomodo oppositam pleuritidem inuehet? Th. lib. 2. cap. 7.

E contra duplex infortunium directam in principio secantes consequitur, nempe fluctionis ad partem affectam prolectio,

& quod obijciunt, putris humoris (si tum putris sit) cum puro sanguine permixtio: Nec negat Fuccius, *in dextra*, inquit, *pleuritide, eiusdem lateris vena sanguinem ægras partes obsidentẽ in cauam venam transfert*, ergo puro sanguini permiscet: infero, Si directa sectione in cauam trãslatus cum bono promiscuè vacuatur, & opposita sectione id etiam fieri necesse est, cum vtraque basilica lacunam æqualiter euacuet. Quod fatetur idem Fuccius. *Necesse est*, inquit, *in vacuati sanguinis locum inanitis venis alium succedere, trahentibus enim propter inopiam venis in aduersa & sinistra parte, ægræ partes promptè concedent vtpote quibus sanguis iam non tantum sua copia, sed etiam vitiosa qualitate molestus est: Iam & expultrix facultas quæ munus suum obit per transuersas fibras, à noxio & redundante in affecta parte sanguine irritata, ocyssimè in oppositum latus iam vacuatum, atque adeò tum vacui ratione, tum quia validor est ad se trahens transfert.*

Inst. lib. 2. sect. 2.

Concludit ergo rationibus, oppositum latus vacuatum à parte affecta reuellere, si ipsi credimus, quod si est, ad se reuocatum sanguinem per sectionis locum vacuari promiscuè oportet, nec nouam pleuritidem

dem

dem inuehi posse certum est.

Regerit hic Gardinus. Putris à parte humor directa sectione vacuari potest per anastomoses eiusdem lateris, & sic in lacunam non transferetur, nec puro sanguini permiscebitur. *Pag 76. orat quod. lib. 4.*

Respondeo primò, istas anastomoses impotentes esse & dubias, quod probatum est Articulo 5. putrem & extrauasatum humorem per apicales anastomoses venarum retrahi non posse, quod & probabitur postea in solutione quærelæ 15. Confectum etiam, quod si in principio secentur directæ, fluxionem proritari, humorem in parte affecta nondum computruisse: Et directam sectionem in principio per anastomoses damnosè operari, ostendetur etiam postea in quærelarum solutione. quær. 10. In vniuersum si hæ alicuius sint momenti, quod non, transeat, in statu enim oppositam non secamus, quo tempore, contendit Gardinus oppositæ sententiæ authores duntaxat directam secuisse, ad putris humoris ex parte affecta euacuationem, & quocumque tempore directam secuerit, non impediet quin per ostium azygotæ à parte affecta, contentus circa phlegmonem humor, aut in

ipso, si retrocedere possit, in lacunam retrahatur & puro sanguini permisceatur: Est enim omnium sensus, tam eorum qui rectis fibris tractionem peragi autumant, quam eorum qui per communes vias, fibris nihil agentibus, eam vacuationem continui & vacui necessitate fieri putant.

Sed replicatur iterum ex Fuccio & Fernelio. Si ad penuriam vsque detrahimus, vix denuò alia humorum fluxione pars affecta cōflictabitur, & sic nullus erit prorittandæ fluxionis metus.

Ad quæ, dicimus, talem vacuationem periculosam à Galeno ipso censeri, & ab omnibus damnari, & rectè hic Fernelius th lib. 1. cap. 10. *Conducibilius sit ægrum diutius torqueri, quam vna cum morbo vitam omnem profundere.*

At non vna vice, inquit Fuccius, vacuabimus, sed per ἐπαφαίρεσιν.

Nec valet replica: Quia si non vsque ad penuriam detractum sit, pari ferocitate quod ait Fernelius, aut etiam maiori repetierit morbus, vnde nil efficiet, nisi malè, & ideo Rondeletius, *Vacuatio*, inquit, *è directo partis affectæ vna vice debet fieri, & ad sanguinis mutationem facienda est, quia nisi magna fiat sanguinis vacuatio ab ea parte,*

Th 14. c. de pleur-

te, plus damni euenit quam vtilitatis, nam illa pars sanguinis missione commouetur magis : Vnde iterum concludo.

Epicraticè tutò vacuabimus, si opposita sectione præmissa & fluxione pacata, directam suo tempore secuerimus.

Obijcit Gardinus. Venæ eiusdem lateris, cum succubis arterijs, per multas anastomoses inter se communicant, atqui per venas & arterias eiusdem lateris fit pleuritis in eodem latere, ergo per directam basilicam sanguis magis κατ' ἴξιν reuellitur & euacuatur.

Dico 1. ad reuulsionem non requiri illam societatem per κατ' ἴξιν directam, sed oppositam distantem & contrariam, quod probatum est Articulo 6. vbi etiam dictum est arterias ab incubis venis halitum duntaxat trahere posse, sanguinem nullo modo multo minus crassum & impactum & à natura alienum. Imò amplius probatum est, arterias cum venis non nisi per originales in corde anastomoses rectè sociari, paucas esse venas thoracis quæ succubas habent arterias, in pleuram nullas inseri, sicut postea probabitur quærela 14.

Ad minorem, Dico per oppositas etiam venas pleuritides fieri (quod latuit Gardinum)

num) parte ſcilicet potente ad debilem materiam morbificam continuò propel-
Lib. nat. fatult. & amandante, perpetua & firma Galeni doctrina.

Sed & conceſſa maiore & minore: Dico 2. conſequentiam eſſe falſam: Quia verum quidem eſt quod per directam ſectionem magis & melius κατ' ἴξιν deriuatur & vacuatur ſanguis, ſed per oppoſitam melius & quidem κατ' ἴξιν etiam reuellitur per canones 6. & 7. Articuli 2. quod quærimus.

Dico 3. parem eſſe venarum oppoſitarum cum ſuccubis arterijs communionem, atque directarum, quare vacuatis oppoſitis venis, neceſſariò per prætenſas anaſtomoſes ſuccubas arterias vacuari, & his vacuatis neceſſitate vacui & continui oppoſitos ſtolones arteriarum in parte corporis affecta inaniri, ſicut de venis Articuli 6. demonſtratum eſt, & ideo per oppoſitam κατ' ἴξιν ſanguinem tutò & ſecurè reuelli, per directã verò nequaquam ſicut etiam demonſtratum eſt exemplo venarum in fine Articuli 6.

Ioubertus demonſtratione 10. paradox. decad. 1. Quærit inflammationis in principio in ἀκροχεῖρα an eiuſdem cubiti venam ſecare conſultum ſit, vt humor fluens

in medio viæ intercipiatur, quod quærit Celſi authoritate motus, qui diſtantiſſimas ſectiones improbat. Reſponſum quia tabellarius nondum retulit, pro eo ſic

Reſpondeo 1. Celſum humero affecto oppoſitam baſilicam ſecuiſſe, *quia*, inquit, *oportuniores hæ partes iniurijs ſunt*. Secundò, cum in brachio plures ſint venarum ſtolones, qui ad manum perueniunt, impoſſibile erit ſcire per quos illorum fluxio fiat, fit enim fortè per plurimos internos, & ſic, aut eum per quem fluxio non fit, ſecabis, nec dolorem leuabis, ſed fluxionem augebis, vel omnes brachij venæ ſunt ſecandæ, quod crudele eſt, nedum poſſibile, vnde miror Fernelium in eiuſmodi caſu cubiti directi venam voluiſſe ſecari, neque enim oppoſita baſilica nimium diſtat vt ab oppoſito humero reuellat, quod certè nos edocuit inter Græcos princeps Aræteus oppoſitè reuellés, cui oppoſitũ brachiũ in pleuritide plurimum diſtat. *Ther. lib. 2. cap. 8.*

At verò quod peius eſt, eodem loco, in cubiti phlegmone, directam in manu ſecari præcipit, contrà Galeni dogma, qui in manus phlegmone cubiti directi venam ſecari vetat. *Ther. 13. cap. 9.*

Sic ſolutis Curtij, Fernelij, Fuccij, & pa-

radoxæ

radoxæ ſententiæ argumentis, quæ Gardinus pro ſaphenarum ſectione contra oppoſitam ſectionem protulit examinare tẽpus eſt, ac primò ſic docet.

Orat. quodl. 3. pag. 57. & alibi paſſim.

In pleuritide imminente, (intelligit futuram) *ſaphenam alterutram ſecato, ſiue adſit plethora vniuerſalis, ſiue non.*

In principio pleuritidis, dum ipſa vix eſt in fieri, ſaphenam eiuſdem lateris tundito.

In pleuritide exiſtente aliquatenus in facto eſſe, ſed & adhuc multum in fieri, ſi corpus ſit plethoricum, ſaphenam primò directam ſecato, paulo poſt ad directam baſilicam te conferas.

Textu 9. comment. 2. de nat. hum.

Harum Concluſionum rationes repetit ex Galeno; Primò, *curare oportet longiſsimè ſecare à locis, in quibus dolores fieri conſueuere & ſanguis colligi, ita enim conſuetudinem præcideris, ne amplius eodem loco colligatur* & ex cap. 11. th lib. 3. *Siquidem longe à parte affecta quæ fluxione tentari incipit reuellere, nequaquam ad eam attrahere expedit.*

De C R. per vena ſect. cap. 19.

Secundò ex Galeni praxi: *Podagricos* (id eſt inquit Gardinus propoſ. 5. apol. podagræ obnoxios, necdum laborantes) *ex cubito euacuato. Comitialibus verò morbis, vertiginibuſque obnoxios, qui mor-*

morbi sunt capitis, potius ex cruribus. Ad quæ,

Respondeo primò, ferè vanam esse quæstionem de prophilactica pleuritidis, quia ad pleuritidem futuram non vocatur medicus, & licet *stultis id competere* dicat Gardinus, cogitur tamen postea fateri quod vt plurimum vocetur medicus in statu cum fluxio tota facta est, quem statum audacter & incautè quarta die concludi asserit orat. 4 pag. 74. ob quam rationem solam malè etiam docuit directam secantes, sic perpetuò egisse. *Orat. 3. pag. 54. & orat. 2. pag. 38.*

Enimuerò tunc vocatur medicus cum dolor sentitur, quia cum dolent ægrotare se sciunt, sic docet Galenus. *Nunquid vbi citra offensam omnium corporis partium actiones obeunt, & valere se dicunt, & minimè medicis egent? vbi verò naturalium corporis actionum senserint quampiam vel malè geri, vel prorsus non geri, ægrotare se illa corporis parte existimant, cuius actionem læsam viderint, & medicum de remedio consulunt*. Sic est Galene & tuam doctrinam sic confirmat Valesius, *necesse est cum propter fluxionem aliquam sanguis mittitur, aliquid fluere, si modo fluxionis principium est & aliquid fluxisse, neque enim fluxionem* *Th. 1. cap. 5.* *Controv. lib. 7 c. 4.*

antea

antea sentimus quam id quod fluit, dolorem excitet: Vana est igitur de præcauenda pleuritide futura, anxia illa & intricata Gardini doctrina.

Respondeo 2. ad plethoram euacuandam, quæ futurorum morborum est materia, omnes medicos ad basilicam dextram tanquam ad sacram anchoram confugere, quod fecit Galenus, quem nullo loco ostendet saphenas secuisse ad plethoram, aut cacochymiam euacuandam, ad futuros, aut imminentes morbos præcauendos, & eum meritò sequutus est medicorũ chorus; Fernelius in primis inquiés, *plenitudo citra affectum, commodissimè, vsuquè maximo ex interiore cubiti dextri, quæ à caua plurimum & validissimè prolicit, tollitur.* & postea, *Quæcumque ex alijs causis nata plenitudo morbos minatur* (ecce imminens morbus) *eos inhibebit secta iecoraria, in flexu cubiti dextri*: Sic Mercurialis in pleuritide in qua vix aliquid influxit oppositam secari iubet. & Heurnius capite etiam de pleur. in sua praxi sic docet. *Vbi metus pleuritidis adest, opposita secatur, si quis dextro latere affligi solet, ei cottannis sinistrum brachium aperiatur.* Quid clarius potest adferri & quod pressius Gardini

Ther. lib. 2. cap. 7.

Merc. th. lib. cap. de pleur.

con-

concluſiones euincat. Agmen claudat Chriſtophorus à Vega. *In futuris morbis præcauendis unt vnam, inquit, venam ſecato, quæ iecori è directo reſpondet, tanquam ex ſanguinis fonte ſanguinem haurientes.* *Art med. lib. 2. ſect. 5. cap. 1.*

Ad Galeni rationes, Dico morbis ibi nominatis præcauendis poſſe reuulſionem certam determinari; Quia periodicorum morborum certæ ſunt & notæ mineræ; notæ matrices, nota loca, quorum ſemina ad tempus ſopita ſtatis temporibus germinant & effloreſcunt, & dum efferuntur, ſimilium aduentum etiam à diſtantiſſimis partibus, per aſſuetas notaſque vias vi magnetica proliciunt.

Neque verò vertiginoſi affectus, & comitialis ſeminia ſunt in capite, etſi capitis affectus ſint, quinimò ſæpe in pede, vtero, teſtibus, hipochondrijs, vnde analepſiæ & catalepſiæ: Podagrica ſæpe in capite, nonnunquam & pluribus alijs locis & regionibus (quod rectè notauit nuper Robertus Montanus Dixmudanus medicus contra Fernelij dogma erroneum) delireſcunt. Vnde qui reuulſiones horum cauſa moliuntur ſecando ſaphenas, aut ſuperiores, non à diſtantiſſimis, quod opinatur Gardinus, ſed à fonte fluxionis & ſeminij *Libell. de artrit.*

quam proximè, licet longè à parte affecta, euacuat, scilicet per venas quæ cum fonte maiorem habent communionem, per Canon. 6. idque benè.

In futuris igitur morbis præcauendis, non pars afficienda maximè & sola consideratur, sed pars mittens, cuius consideratione, venam proximam fonti fluxionis euacuamus ex aduerso à parte affecta longè reuellendo.

Quid est ergo longissimè secare? Nempe ad talem distantiam vt prodesse possit citra periculum proritandæ fluxionis ad partem affectam. Sic Aretæus vnum brachium ab opposita pleuritide plurimum distare asserit, & Iul Guastauinius vtramque basilicam ab oppositis pleuris itidem longissimè distare docet. Atque ideo cautè Galenus podagricis saphenas non secuit, quia, vt antè notauimus, membra læsa scarificari, aut ferro lædi vetuit; Verũ, inquit eod. cap. Si artriticus sit omnibus articulis laborans, æquè pars quæuis ad sanguinis missionem est accommoda, in consideratione partis affectæ, sed in consideratione fõtis fluxionis, proximior fonti vena & maior cæteris paribus erit aperienda.

Acut. lib. 1. C. 10.

Loc. selec. cap. de pleur.

Eam

Eam doctrinā in praxi vbique profesſus eſt Galenus. Sic ſi in ore fuerit phlegmone in principio humeralem ſecat in manu, ſi iecur, pulmo, cor, aut pectus afficitur internam ſpretis ſaphenis. *Affecto,* inquit, *latere, aut pulmone, aut ſepto tranſuerſo, aut liene, aut iecore, aut ventriculo, interior in flexu cubiti ſecanda eſt.* reddidit cauſam nat. facult. lib. 1. cap. 1. *quia redundantia in his partibus, quæ poſt hepar ſunt, ſi qua erit, circa cor & pulmonem erit.* Ecce quanti faciat in thoracis affectibus à fluxionis fonte reuellere, per diſtantes quidem, ſed non diſtantiſſimas ſaphenas, quæ ob diſtantiam prodeſſe non poſſent. Lib 3. th. cap 11. D C R. per Vena S. cap. 16.

Quam Galeni doctrinā ſequutus etiam Iul. Guaſtauinius concludit. *Ad euacuandum totum in morbis grauiſsimis, vt angina, pleuritide, ad internam brachij confugiendum, quia velociſsimè vacuat totum corpus ex ijs partibus quæ principes ſunt.* Eodem planè ſenſu ſcribit Fernelius, *Reuulſio quæ fit ſecta interiore cubiti vena, quia iecur ipſum exhaurit, à quo fluxionis eſt exordium, vniuerſalis cenſetur. Quæ verò ex venis inferioribus fit, particularis, neque fontem primariò euacuat. Malè igitur cenſetur* (quod in ſupra poſitis Gardini concluſioni- Loc. Med. cap. 9. Lib. 1. th. cap. 9. Lib. 2. th. cap. 3.

fionibus afferitur) *quum ingens eſt plenitudo ne fluxio geminetur, copiam primo ex inferioris pedis vena ſubſtrahendam.*

Li. 2. inſt. ſect. 5. At Fuccius, directè contra ſecundam & tertiam ſuprà poſitam Gardini concluſionem ſic concludit. *Vbi partes iam phlegmone laborare cœperint, vena in diſtantiſſima parte minimè aperienda eſt,* dat rationem *nam hæc ipſa noxium humorem ignauiùs, tardiùſque concitat, neque hunc à ſede laborante* (quod ſuſtinet Gardinus) *abducit,* & paulo poſt cumulatis rationibus, ſaphenarum ſectioni ſecurim immittens, inquit, *Non eſt ergo in vllo phlegmone ex diſtantiſſimis partibus ſanguis reuellendus,* *nempe à diſtantiſſimis locis detractus ſanguis ſolam copiam* (contra Gardini decretum) *minuit, nec quidquam tamen deprauati ſanguinis elicit, atque ideo parti oppreſſæ leuamento non eſt.* In eadem ſententia perſtant omnes Galli, & olim Celſus, *ex adeo,* inquit, *remota ſectione, vix niſi per pleniſſimam vacuationem* (quam omnes damnant) *à fonte fluxionis quidquam vacuatur.*

Lib. 2. cap. 10.

Cont lib. 7 cap. 4. His ſe adiungit Franſ. Valeſius docens. *In pleuritide nunquam inferiores ſecandæ ſunt, quia quod factum eſt morbi ratione partes vrget.* Idem eſt Sennerti ſenſus.

diri-

Litem dirimit Ioubertus. *Partium inquit superiorum sanguinem ad partes inferiores secta in poplite vena detrahere, non est breuis temporis opus, nam id consecutione & sensim fit, dum ad locum inanitum humores hinc inde confluunt: Quod si demonstrares necessariò ad inferiora vergere sanguinē secta poplitis vena, non tamen eo probabis, humorum qui partem affectam petunt impetū mox retineri.* Nēpe tali sectione teste Hippocrate, *haud repentè magna mutatio fiet.* Quem Hippocratis locum suprà dolosè citans, mancum reddidit Gardinus, omissis his *haud enim magna repentè mutatio fiet,* ex distantissima à loco affecto sectione, quam tamen repentinam mutationem in morbis grauissimis, vt pleuritide commendat, si. ut & interpres eius Galenus, vnde hic rectè concludo : Parad. 10 decad. 1. Lib. de Nat. hu. Lib. de vict. in acut.

In futura pleuritide, & imminente, & ea quæ vix est in fieri, & in ea quæ est adhuc multum in fieri & aliquantum in facto esse, siue plethora adsit, siue non, saphenarum sectiones inutiles sunt & reijciendæ. Et reuera ipse Gardinus contra primam suam conclusionem sic conclusit. *Si corpore vniuersaliter plethorico, immineat pleuritis, aquè pars quæuis ad sangui-* Orat. quod. 2. pag. 43.

 nis

nis vacuationem est a commoda, & similiter contradicit conclusioni primæ decreti vbi dicit ex eadem hipothesi, *Præstat omnium primò venam in pede secare, siue plethora adsit, siue non.* Tanta est veritatis vis, vt nullis sophismatibus ita deprimi possit, quin seipsa emergat.

In apol.

Obijcit Gardinus orat. quod. 1. pag. 15. & orat 3 pag. 54 E superiori parte lacunæ oritur azygota & intercostalis ergo si oppositam basilicam seces, attrahes & facies ascendere sanguinem ex iecore vt per azygotam & intercostalem ad pleuritidis locum irruat, secus si saphenam.

Resp primò nullum esse periculum si Celso credimus, Fuccio, Fernelio, quinetiam ipso docente Gardino, qui in pleuritide actu vrgente & ferociente, non timet directam secare, quæ omnibus ab ipso allatis incommodis magis possit esse obnoxia, quam opposita, propter assignatas articulo 5. rationes: Cur ergo timebimus oppositam secare, cuius ad azygotam par est proportio, & æquidistantia?

Enimuerò sanguis qui in pleuritico affectu, fluit & fluxurus est ad locum affectum, maximè in principio, non est is qui in regione est infima, sed in supera, nec

satis

ſatis hic ſui memor eſt Gardinus, qui in pleuritide imminente docet ſanguinem moueri in venis circa cor & pectus, quod ſi eſt, vt eſt, diſtantiſſimæ ſaphenarum ſectiones hic erunt inutiles, & qui oppoſitam ſecabit, à fluxionis fonte rectè vacuabit per Canonem 6. quod ſanè præcipit Galenus, *multoque magis*, inquit, *ſi ſanguinis redundantia ad ſuperiora vergere videbitur, aut thoracis partes affectæ ſint.* Quinimò & partium inferiorum ligaturis ſi quid timendum eſſet, facilè prouideri poſſet dum ſuperiores ſecantur. *Gal. nat. facult. 2. cap. 1* *Orat. 4. pag. 73. & 71.* *Comment. 10. de vict. acut.*

Reſpondeo 2. Gardinum paſſim docere ſaphenas vacuare non ſolum ab oſtio azygotæ, ſed etiam ab alijs venis per quas fit pleuritis, intercoſtalem ſcilicet, mamillares, thoracicas; Quod ſi eſt, obiectum infortuniũ & maiora timere debet, quia, quod probatum eſt, antequam per ſaphenas quidquam à partibus ſuperis vacuet, omnes teſte Fernelio inferiores venas inaniat neceſſe eſt: in quibus cum prauus non ſit ſanguis, nec ibi æſtuet ex Galeni doctrina, bonum duntaxat ſanguinem vacuabit, quod ipſe nobis obijcit, cum certiſſima corporis exſolutione, tum & æſtuantem in ſuperis prædictis venis ſangui- *Orat. 3. pag. 54.* *Nat. facult. 2. cap. 1.*

nem in azygotam quod obijcit etiam, attrahet: Sed reuera inania sunt eiusmodi phantasmata & Academico Doctore indigna, & quæ responsionem non merentur.

Orat. 1. pag. 15. 16. 17. Obijcit 2. & detortè citat & interruptè Galeni locum ex lib. de C. R. per. V. sect. cap. 19. vt præcedentem obiectionem confirmet, qui sincerè sic habet. *Quæ ex cubito fiunt euacuationes aliud habent adiunctum malum, nempe quod menstruas purgationes comprimant, sanguinemque ad superiores corporis partes retrahant; Quæ verò fiunt ex cruribus non solum non retrahunt, sed etiam menses promouent* ex quibus sic

Pag. 15. arguit. *Per sectionem in brachio, sanguis sursum attrahitur, ergo in pleuritidis principio id fieri non debet, nisi cum maximo periculo.*

Respondeo quod hic locus manifestè Gardini doctrinam condemnat. Quippe si ex doctrina Galeni suprà posita, partes superiores superiorum, inferiores inferiorum sectione leuantur & in vteri inflammatione, sectione inferiorum reuellendo simul & vacuando à parte affecta, non timet ne qui in parte superiore est sanguis ad locum affectum attrahatur, profectò

nec

nec nos vereri debemus in thoracis affectibus, ne superiorum sectione sanguis infimæ regionis sursum attrahatur, quod docet idem contra Erasistratum Galenus cap. 4. *Docet*, inquit, *Hippocrates Quo ducere expedit & quo maximè natura vergit per loca conferentia eo ducendum*: Subsumo, in pleuritide sanguis partes superiores vrget, & per hæmorragias sæpe illam iudicat, concludit Galenus ibidem: *Propterea etiam in lateris inflammatione laborantes curans Hippocrates iuxta humorum vrgentiam inanire eos consueuit interna cubiti vena secta.* Lib. de säg. miss.

Sed cur loco citato venæ sectioni in cubito adiunxit malum?

Respondetur non absolutè nec vniuersaliter id enuntiari, porrò eo loco, quia intendit menses prolicere in vteri inflammatione; quæ à retentis mensibus orta erat, ideo si superiores secasset, quæ illos sistere aptæ sunt, malè in eo egisset, nempè menses non mouisset, nec à parte affecta quod intendebat vacuasset, alias etiam dum reuellere satagit & fluxionem veretur ad vterum phlegmone laborantem, basilicas secat, quod fuisse Galeni inuentum dictant sequentia, διὰ τῆ τῦ ἄιμα-

ςος ἐκ μήτρας φορᾷ συνέργει μετὰ τοῦ ἀπὸ τῶν σκελῶν κενώσεως Sic in pleuritide mentibus, aut hæmorrhoidibus ſuppreſſis; ſi earum ſuppreſſio pleuritidis cauſa cenſeretur, & ſpes eſſet illos promouere, malè quandoque à cubiti ſectione inciperetur curatio, ſed præſtaret ſaphenas aperire, non quod reuellerēt æſtuantem iam in partibus thoracis ſanguinem, ſed quod fluctionis fontem euacuarent & antecedentem cauſam influentem tollerent, per Canon. 6. Art. 2.

At verò cum rariſſimè talis occaſio ſe offerat, quam dolosè, aut incautè hunc locum deprauarit Gardinus manifeſtum eſt à propoſitione conditionali & particulari conclusiones vniuerſales inferens.

Obijcit 3. & ad argutias ſe transfert, *Vena, inquit, ſaphena habet communionem* κατ᾽ ἴξιν *ratione anaſtomoſis per epigaſtricas aſcendentes cum mamillari directa deſcendente, & hæc cum ramuſculis azygotæ, ergo ſecta directa ſaphena per iſtas anaſtomoſes non ſolum reuellit à lacuna per iliacas, ſed etiam à loco affecto, at oppoſita baſilica nullam* κατ᾽ ἴξιν *cum oppoſita pleura habet communionem ergo ſaphenarum ſectio, oppoſitæ ſectioni præſtat.*

Reſpondeo probatum eſſe communio-
nem

nem κατ' ἴξιν venarum vtriusque lateris articulo 5. & 6. Reuulsionem de qua disputamus fieri per originales anastomoses, vacuationem prætensam à parte affecta, per terminales anastomoses & cæcas vias dubiam esse, & quod in principio sic vacuare periculosum esset, vt amplius probabitur in solutione querelæ 10. Quæ cum reijcere non posset Gardinus: Regerit. Saphena non solum vacuat à parte affecta per epigastricas, sed etiam per insertionem apicis azygotæ ad lacunam descendentem, ob eam communionem, inquit, concludit Riolanus, *Cognosces quantum vtile sit lumbis cucurbitulas adhibere cruentas & de pede sanguinem detrahere inchoante pleuritide.* Orat. 4. pag. 69. 73. 79.

Respondeo primò, Gardinum hic Riolano imponere, non enim sic concludit, sed cap. 7. lib. 3. scribit. *Ratione huius fortuitæ insertionis* (non enim in omnibus corporibus conspicitur sed aliquibus duntaxat) *quidam Medici Arabum sequaces occasionem sumpsere secandi venam in pede, in pleuritidis principio:* At dum ex propria sententia concludit, sic ait cap. eodem, *In pleuritide oportet semper è directo lateris affecti venam secare secundum Hippocratis & Galeni* Anthrop. lib. 3. cap. 5. & 8.

Gardini sensum, & tundenda basilica vt linea recta sanguinem ex latere affecto vacuemus.

Respondeo 2. istarum venarum stolones ad libitum cuiusque phantastici fingi, commentitios & dubios esse, in plurimis corporibus non reperiri, à præstantissimis anatomicis irrideri & contemni: & talia, inquit Riolanus, *Sunt naturæ lusus, quæ nihil certi asseuerant*; quod sanè probauimus articulo 5. & si quandoque reperiantur, nihil posse, quia saphenarum sectiones nimis distant.

Anthrop. lib. 3. c. 3.

Sic solutis aduersæ sententiæ fundamentis, & aduersariorum argumentis, ad querelas academicorum Duacensium & præcipuè Gardini respondeamus oportet, ne neophyti medici in artis operibus non satis exercitati, praua adeo & damnanda hæresi imbuti, incautos ægros innocenter opprimant, cui operi destinatur excursio sequens.

Monitum tamen volumus lectorē, nos non absolutè affirmare, semper in pleuritidis principio opposita reuulsione vtēdum, ne sic Agyrtis & barbatenus medicis inscitiæ & temeritatis asylum struamus, sed quando id agendū sit, aut non, docti & experti medici solertiæ liberū relinquimus.

E X-

EXCVRSIO AD QVERELAS M. LVDOVICI GARDINI, SCHOLÆ medicinę Duacensis Professoris.

AD REVERENDVM ET CLARISSIMVM VIRVM,

D. FRANCISCVM LE CLERC,

Artium & medicinæ Doctorem, Ecclesiæ Cameracensis Canonicum.

ABsoluta Parænesi, CLARISSIME DOMINE, relectis iterum Gardini quodlibeticis orationibus, visum mihi est me, nec lectoribus nec mihi ipsi, satisfecisse, nisi Gardini querelas passim sparsas diluerem, contradictiones & in terminis quibus nimis liberè & oratoriè vtitur æquiuocationes & inconstantias ostenderem, simul & Do-

ctrinæ

ctrinæ confusionem; Enimuerò in periculosa adeo disputatione si magno Scaligero credimus, *rationibus hic maximè agendum fuerat viro veritatis studioso, non Tullianis, Platonicisque pigmentis: declamationes enim ambitiosorum opera, otiosorum cibi sunt, natura negotijs impedito animo studendum est ei breuitati, qua res aquet verbis, demonstrationes certas pro nectare habeat*. Atque ideo, *Clarissime Domine*, excursionem hanc scripsi, in qua querelis Gardini sic respndeo vt totam prudentissimo vestro subijciam iudicio, eoque lubentius id ago, quod Asclepiadarum è familia oriundus es, à magno, inquam, illo Clarissimo & expertissimo D. Hermete le Clerc, verè Trismegisto, qui non solum Neruios sed etiam totum Belgium longè lateque sua fama impleuit. Enimnerò mentis tuæ δύναμις κριτικωτάτη Paternis præceptis perpolita, te sic in Apollinea doctrina excellentem fecit, vt prudentiæ tuæ singulari, & raræ in agendo dexteritati & solertiæ virtute tuâ præmium non tam conferente quam persoluente, omnium assensu ad Cameracensis Ecclesiæ canonicatum euectus sis: Quare æqui bonique consules; CLAR.me Dñe, si dum mentis tuæ Apollineæ κριτήριον subeo, incolumen vitam deuotus apprecor,

Exercit. 307. sect. 20.

QVE.

QVERELA PRIMA.

Anticharis pag. 98. in Parænesis titulum sic insurgit

Titulus tuus est de vena sectione in pleuritide, quod sic enuntiatum absolutè, de nulla non pleuritide, & de nullo non morbi tempore intelligendum certè est. Subdis contra Fernelij sententiam: Si contra, enuntiatio tua debet esse contraria enuntiationi Fernelij.

Dico quod hæc querela nodum in scirpo quærit. Titulus parænesis meæ non est vniuersalis propositio, sic enim habet sine interruptione. *De vena sectione parænesis endoxa contra paradoxam Fuccij, Fernelij sententiam:* Et posito quæstionis titulo sic quærit. *An in pleuritide eiusdem lateris vena perpetuo sit secanda.* Vnde manifestum fit, me de ea venæ sectione in particulari agere quæ aduersatur paradoxæ Fuccij & Fernelij, quæ si contraria meæ enuntiationi erit, & mea illi contraria sit oportet.

At Fernelius, replicat Anticharis, *quando iubet basilicam eiusdem lateris tundi, potissimum* Pag 98.

tissimum

tissimum loquitur de pleuritide vrgente & quæ est plurimum in facto esse, non de ea quæ est in principio aut in fieri, & sic contra eum reuera nil opponis, quia contraria sunt, quæ de eodem secundum idem, ac eodem tempore enuntiant :

Hic laqueus, & in foueam quam fecit incidit, nec per plurimum, nec potissimum, neque per omnia quibus vtitur cõparatiua, pedicam declamator effugiet: Porrò hinc sequitur sententiæ meæ approbatio; Si enim Fernelius, & sequaces, quod fingit Anticharis, in pleuritidis statu, & quando pleuritis plurimum est in facto esse, oppositæ sectionem duntaxat damnant, quia tunc temporis directam commendant: Profectò in morbi principio illam non damnant, sed eam approbasse censendi sunt, quæ est nostra disputatio.

Pag. 99.

Enimuerò sui memor non est Gardinus orat. 4. dum inducit Riolanum scribentẽ, *Quare iudicio Hippocratis & Galeni consilio, semper è directo lateris affecti celebranda est venæ sectio per basilicam vt insigni historia docemur in enarrationibus eruditissimi Dureti.* Ergo & Duretus, quod & alias diximus, perpetuò directam secat; sicut & Laurentius qui sic concludit:

Pag. 98. Anthrop lib. 3. c. 8.

Anat. lib. 9. quæst.

dit. *In pleuritide secemus perpetuò venam internam eiusdem lateris*, quæ docta est, inquit idem sentiens Valeriola, *Hippocratis & Galeni doctrina*. & Ioubertus similiter scribit, *Reuulsiones* (nota benè) *ab eodem latere perpetuò instituendas esse concludimus*. Loc. com. lib 3. cap. 16.

Iamne (quod ait Gardinus) Valeriola, Ioubertus, Laurentius, Hollerius, Riolanus, Duretus & cæteri præstantissimi viri dum in pleuritide directam secãt, de pleuritide duntaxat id decernunt, quæ plurimum est in facto esse? Iudicet lector, *quis hic laruatus Chæritus populo*, quod ait, *imponit*. Pag. 97. orat. 4. Anti. pag. 96. 97. 83.

At prodeant contra quos directè egi: Adest Fuccius qui lib. 2. paradox. cap. 4. intrepidè asserit: *In internorum viscerum inflammationibus, rectius, tutiusque è directo, quam ab opposito latete vena secanda est*, *etiam reuellendi causa*, & tempus connotat postea sic; *Dilucidum fit errare eos qui in principio inflammationum*, (notate principiũ Academici) *venam quæ è directo est incidendam negant:* & paulo post, *Vena quæ è directo est inter initia etiam incidẽda*.

Quid Fernelius qui terminis à Gardino assumptis, *plurimùm in facto esse*, *aut in*

fieri & similibus nunquam vſus eſt: Is lib. 2. th. cap. 7. ſic docet. *Pleuritidi, tam interiori quam exteriori* (id eſt omni) *interior in eodem latere ſecta vena reuellendo deriuandoque prodeſt*; in ſtatu autem cum non reuellamus, ſed vacuemus, & de pleuritidis principio hic etiam decerni clarum eſt. Idem cap. 5. ſpreta ſaphena & oppoſita ſic concludit. *Malè igitur Arabum dogmate cenſetur, præciſam in pleuritide eiuſdem lateris venam, fluxionis impetum augere* (notat principium & fluxionis tempus, quo tempore etiam Arabes oppoſitam ſecabant) *copiam primò ex inferiore pedis vena ſubſtrahendam & ab aduerſi cubiti interiore reuellendum, poſtremò reliquias ex eodem latere deriuandas. Quæ è directo ſecatur vena vacuat, reuellit, & deriuat, ergo ampla vena finitimo loco eſt ſecanda.* Quid clarius quam Fernelium perpetuò & quouis morbi tempore voluiſſe directam ſecari? & meritò quippe eodem capite vt id cōſequatur, pro fundamento criticas euacuationes poſuit operosè diſputans, nullam eſſe vnius lateris ad oppoſitum rectitudinem & communionem, vnde lib. 1. th. cap. 9. *Partes*, inquit, *intra renes & claues ſitas, reuellit ſecta è regione cubiti vena,*

na, ex alijs venis quæ è directò non sunt, vnam copiam minuit, neque oppressæ parti leuamento est.

Quibus manifestum fit, me reuera contra Fernelij & Fuccij & sequacium doctrinam rectè enuntiasse, titulos titulis, quæstiones quæstionibus, conclusiones conclusionibus, paradoxæ sententiæ, & nouæ, endoxas & ab antiquis probatas opposuisse.

Ego sanè contraria omnia enuntio Fernelio, quando de reuulsione ago, quando assero in omni pleuritide in principio, quando fluxio adhuc fit, oppositam tutò secari posse, non modo cum plethora, sed etiam citra plethoram, nunquid hæc sunt contraria de eodem secundum idem? quod dum nimis præcipitanter negat Gardinus, ecce magistellus quidam Anticharis academici trophæum destruit, neque Plauti machæra opus est, sufficit *vrceolus is* cui inscriptum Polyphemos excæco. *Anti. pag. 99.*

Cedo locum, inquit Gardinus, *vbi Hippocrates, aut Galenus dixerit in pleuritide oppositam esse secandam? Scis Galenum nunquam sic scripsisse, fateris tu in quibusdam casibus, tundendas esse saphenas.*

Pag. 96. orat. 4.

RESPONDEO primò, Nunc plurima à neotericis doctissimis & expertissimis fieri, quæ Galenus non est assequutus, quia ars quotidie excolitur, *nos pumiliones*, quod ait Quercetanus, *gigantum humeris insidentes, quæcunque illi viderunt, videmus & longiùs.*

In phar. rest.

Secundò, Galenum fortè oppositam sectionem raò admodum practicasse, licet præceptis vniuersalibus nos eam docuerit, nempe quia defuit illi talis sectionis occasio: Cum enim Romæ iunior medicinâ exerceret, Erasistratei magna gloria iam à multis annis eam exercebant, ijque Chrysippi doctrina imbuti, venæ sectionem omninò damnabant, inedia corpus vacuantes, vndè non mirum si Galenus sæpissimè & fortè semper vocaretur, cum pleuritis erat in statu: Et sanè maximè illi laborandum fuit, vt venæ sectionem commodum ægris auxilium persuaderet;

ſuaderet; quippe Eraſiſtratei inueterata hæreſi contumaces, ne aliquando non ſapuiſſe viderentur, famæ ſuæ & alutæ potius quam ægrorum ſaluti conſulentes, omni conatu, & quibus poterant technis Galeno aduerſabantur, venæ ſectionem vt crudele remedium damnabant, congreſſus cum Galeno (quod & faſtuoſi etiã nunc quidam medici) fugiebant & conſultationes detrectabant, eratque Romanis opinio Eraſiſtrateorum gratiſſima, quoniam error ille iam popularis factus, altiùs illorum mentibus inſederat; Nam & Chyrurgos Græcos vrbe pulſos à maioribus acceperant, vt nimium crudeles, propter ſectiones & vſtiones, ita vt ſibi perſuaderent Græcos vindictæ appetentiſſimos, Romanos per odium in patriæ oppreſſæ vindictã laniaſſe & interfeciſſe.

His ſimilibuſque de cauſis ægri Romani non niſi ſerò venæ ſectionem admittebant, ſicut ipſemet refert Galenus; *Verum,* inquit, *quoniam quintum ſepè, aut ſeptimum ab initio expectabant, priuſquam nos ad curandum accerſerent, expediebat nihilominus venam ſecare*; malebant itaque Romani in ſanguine ſuffocari, quam profuſo ſanguine, quod ſibi ab Eraſiſtrateis longo vſu & *Cap. 2. de C. R. per V. ſect.*

 malis

malis artibus, persuasum erat, iugulari: Tales erant illi Erasistratei medici, reipublicæ pestes crudelissimæ, sicut conqueritur ipse Galenus ad Posthumum, *huc & illuc cursitantes per vrbem, varia diuulgabant, me periculoso admodum curationis genere vti, ergo vt apud nos latrones sibi parcunt, & in facienda iniuria, mutuò conueniunt, ita medici Romæ tunc habitantes faciebant, eoque solo à latronibus differebant, quod hi in vrbibus, non in montibus insidiabantur*, quibus consideratis.

Querela Galeni ad Posthumum.

Dico 2. quod si in principio, aut augmento fuisset vocatus Galenus; sæpissimè oppositam secuisset, vniuersalibus à se vulgatis præceptis consentaneè.

Dico 3. Quod nec Hippocrates, nec Galenus vllibi scribant in pleuritide secandas esse saphenas: Scripsi equidem theorematibus vniuersalibus conformiter, in pleuritidis principio reuulsionis causa, saphenas secari quandoque posse, si fluxionis origo sit à mensibus, aut hæmorrhoidibus suppressis, quia tunc fluxionis fontem euacuare contendimus per Canon. 7. Articuli 2. quod etiam facit Galenus in hæmorrhagia, aut hemoptisi, in eodem casu.

Non tamen semper in mensium suppres-

sione

sione natam pleuritidem saphenæ sectione curamus: porrò atroci dolore vrgente, maximè si corpus sit plenum (quod est directè contra Gardini decretum) spreta saphena ad oppositam superiorem recurrendum est. Sic docet Heurnius inquiens. *Cum ab interceptis mensibus nata est pleuritis, si saphenam aperueris, nec dolorem leuabis, nec menses euocabis, sed grauiorem infarctum facies, quare atroci in dolore ilicò brachium feries, mox pedem:* brachium quidem non directum, ne fieret fluxio ad partem affectam, sed oppositum vt plethora tutò vacuetur, qua vacuata vel saphena tutò postea ad menses euocandos secetur. Similiter docet Sennertus mensibus nondum fluentibus cum mox etiam fluxuri sunt, spreta saphena in principio ad oppositam se confert, *quia*, inquit, *danda est opera, vt id quod opus est ocyus exequamur, antequam menses fluere occipiant, ne post fluentibus mẽsibus necessarium auxilium differre opus sit, aut minus commodè adhibere possimus.* Ex quibus constat, quam vana sit & futilis hæc querela.

In pract. cap. de pleur.

Inst lib. 5. p. 1. cap. 17.

Anticharis pag. 84. quæritat Gardinus: *Eſtne propudioſum dicere Auicennam & omnes Arabes quandoque, in pede in pleuritidis principio venam ſecuiſſe?*

Fuc. inſt. lib. 7. c. 7.

RESPONDEO 1. Fernelium Fuccium & directam ſecantes ſic de ſaphenæ ſectione cum ſchola Pariſienſi ſtatuiſſe. *Hæc eſt imperitorum quorundam hominum doctrina, impura, barbara, præpoſtera, ſcabra, fucum lectori faciens, malè fida, vacillans, garrula, intricata, ſibi non conſtans. Malè igitur Arabum dogmate cenſetur, quum ingens eſt plenitudo ne fluxio geminetur, copiam primum ex inferiore pedis vena ſubſtrahendam.*

Fer. Therap lib. 2. cap. 5.

Dico 2. propudioſum eſt, imponere Fernelio & alijs, quod dum directam ſecuerunt, intellexerint ſolũmodo de pleuritide quæ eſt in ſtatu, & quæ plurimùm eſt in facto eſſe, quod vt confirmet,

Antich. pag. 97. 98. 85.

Propudioſiùs docet, quod *tanti viri per principium, intelligunt ad hominem, primas quibus aduocantur vices, etiamſi pleuritis, iam penè ſit ſecundum naturam ſuam in ſuo ſtatu:* Quaſi tanti illi viri iudicio ſic caruiſſent, vt ad ægrum cum veniſſent,

Antich. pag. 86.

ſent, non quæſiuiſſent, à quo tempore æger pleuriticus eſſet: Ex qua Gardini hypotheſi ſequitur talis ratiocinatio: Præſtantes illi viri in ſtatu ad pleuriticum primùm vocati, eum diem ſuæ vocationis, primum diem & morbi principium ſtatuebant, ergo quia tunc ſecabant è directo, ſe in morbi principio ſecare affirmabant: Infert Gardinus, ergo & in morbi principio & augmento & ſtatu ex abuſu populi rectè directam perpetuò ſecandam concluſerunt.

Iudicet lector, quam abſurda ſit ea doctrina, quæ ex abſurdiſſima hypotheſi emanat, eam enim expreſſis verbis ſic tradit pag. 86. *Tanti illi viri regulam illam generalem ſectionis directæ ſic dedere perpetuam, quod voluerunt ſe conformare abuſui vulgaris populi, qui ſemper medicum aduocat cum omnis fluxio facta eſt.* Antich.

Quod iterum propudiosè repetit orat. 3. pag. 58. *Quoniam*, inquit, *vix aduocatur medicus niſi collectione facta & fluxione penè ceſſante, directam ſectionem ſolam ſibi præfigere doctiſsimi quique.* & orat. 3. p. 44. *quam abſoluto ſermone cum Fernelio in pleuritide rectè ſecandam eſſe pronuntiant ſapientiſsimi ac eruditiſsimi quique medici, reſpectum*

pectum habentes solum ad id, quod in praxi quotidiana quotidie occurrit plurimùm esse faciendum, ob incuriam & abusum vulgi medicum vix aduocantis nisi tum demum quando dolor ingens in latere iam insigniter vrget, & ad se totum curantis consilium aduocat. Nempè medicus doctissimus ad pleuriticum accitus, ea hæresi imbutus, nullo præmisso examine, ilicò directam feriet: Hunc sanè hæresi obaudiant, Clinici, Balneatores, Tõsores, Myropolæ, Agyrtæ, Mulierculæ, queîs tutissimum inscitiæ paratur asylum, errare sanè non poterunt, ad pleuriticum vocati, continuò directam si secuerint, sic enim sapientissimi quique sibi præfigunt, auriculas scilicet Midæ.

Quid ad hæc, vos igitur insulsissimi & imprudentissimi omnes articulo secundo pro opposita sectione citati eritis? non vultis vos populi abusui seruire? Non sic Gardine populi abusu vtendum est, medicum ægri abusus fouere non decet, ipse falsum hoc esse afferis? *principijs*, inquis, *obstant sapientiores suæ valetudinis curiosiores. Si stultorum infinitus est numerus nil miror.* & ibidem inclamat, *quantum libuerit suo ineptiant malo, sapientioribus præcepta damus.* Vanæ ergo & erroneæ

neæ abusui populi & falsitati superstructæ conclusiones, ridendæ quidem, ni sint damnosæ.

At si compendiosa adeo doctrina vera est & bona, cur toto opere, tot pleuritidis tempora effingit? futuræ imminentis, absolutæ imminentis, quæ vix est in fieri, & duntaxat in fieri pleuritidis in fieri, cum plethora & sine plethora, pleuritidis multum in fieri parum in facto esse, parum in fieri, multum in facto esse, plurimùm in facto esse, ita vt vix quidquam sit amplius in fieri, omninò in facto esse; Ad quid, inquam, ista, quæ sapientissimi quique cum Galeno, quatuor temporibus definierunt? principio, augmento, statu, & declinatione, nunquid ista videbuntur otiosa & intricata? *Orat. 2. pag. 45.*

Dico 3. Propudiosum est negare hos omnes, quos citat, Arabes & eorum interpretes, cum omnibus sequacibus citatis Articulo 2. ante directæ sectionem oppositam secuisse.

Dico 4. Propudiosum est Mesue imponere. Qui ait *vbi maxima est plenitudo* (etsi contrà sentiant moderni professores) *iubemus phlebotomari ex saphena partis oppositæ, est enim eius iuuamentum sublime & festinum.* *Antich. pag. 84.*

stinum. Hic subsistit Gardinus dum & sequentia continuò addere debuit, *& propriè facit ad ascensum materiæ ad caput*, id est, Gardine, quod omnes intelligunt, quádo materia antecedens latet in partibus inferis, & ab his repit ad caput, aut partes superiores ob hæmorrhoides, aut menses suppressos, vndè antè dixerat *ad pluralitatem repletionis*: id est quando materia antecedens vno & eodem tempore stagnat in diuersis locis & maximè inferis.

Iudicet iam lector si temerè deblatero, quem remitto ad articuli 2. stationem 2. vbi quid Mesue de venæ sectione in pleuritide præcipiat candidè scripsimus.

QVERELA IV.

Orat. prima, pag. 17. quærit. Gard.
Satisnè cautè docui quod opposita sectio in pleuritidis principio, nunquam prodesse possit vt cruris?

RESpondeo quod non, quia sectio oppositæ basilicæ plus prodesse potest & magis vniuersaliter, saphenarum verò, rarò & in paucis casibus.

Neque verò illud *vt cruris* potest excusare Gardinum, qui oppositam sectionem

nem incautè omninò damnare voluit, quod & adhuc conatur facere ſchola Duacena publicatis aduerſum paræneſim meam pluribus concluſionibus, quibus partim iam reſpondi, alijs in hac excurſione reſponſurus: Porrò qui quocumque tempore & caſu ſine vlla diſtinctione ſaphenarum ſectiones, oppoſitæ baſilicæ ſectioni anteponit & qui ſic dicit orat. 3. *fruſtra ſecatur in pleuritide lateris oppoſiti baſilica, ſufficit eiuſdem lateris baſilicam ſecare*: Is profectò vt fruſtraneam condénat.

Enimuerò *nunquam* illud temporalé abſolutum, quod non ſatis reſtringitur per *ly vt* comparatiuum, erat expungendum, vel explicandum, quod poſtea fecit apologiæ meæ rationibus euictus, ſic propoſitionem ſuam inuertens: *Vena baſilica oppoſiti lateris prodeſſe poteſt*, quod admitto: *ſed cruris tunc ſecta magis*, quod pernego; nec ſatisfacit, cum enim ad rectè medendum id ſemper agendum ſit, quod tutius & melius eſt docente Galeno, ideo ſi ſaphena id præſtat, ſecanda eſt perpetuò non oppoſita, & licet inficiatur ſe non abſolutè condemnaſſe, pag. tamen 45. orat. 2 omninò eam damnauit hoc elogio concludens, *Oppoſiti lateris ſectionem in pleuritidis*

Orat. 2. pag. 12.

De rat. vict. in acut.

tidis principio, nil omninò prodesse, sed frequenter obesse, atque sæpissimè adeo nocuisse, vt ijs qui alioquin euasissent præsentissimam mortem attulerit.

Sed admitto confessionem pag. 13. orat. 1. quæ sic habet. *Non nego in pleuritidis principio basilicā prodesse posse:* Et *falsum est Gardinum vnquam absolutè asseruisse, nec quisquam boni iudicij id absolutè asseruit.*

Orat. 1. pag. 8.

Recipio Præsidis iudicium & sententiam, qua Gardinum purgat, quod est palinodiam suauissimè recantare & paræneseis meæ doctrinam endoxam confirmare, quæ docet in pleuritidis principio oppositæ basilicæ sectionem vtilem esse.

Orat. 1. pag. 17.

QVERELA V.

Orat. prima pag. 22. Quærit Gardinus. *Diffidone ego venarum communioni?*

HÆc querela oritur ex eo, quod affirmo vtramque subclauiam magis communicare inter se, quam iliacas inter se, quas κατ' ἴξιν communicare Fernelius, Fuccius & directam secantes affirmant sicut probatum est Articulo 7. Cùm igitur, teste Galeno, illa magis inter

se

se κατ' ἴξιν communicent, quæ minus à se inuicem distant, hinc fit quod vtraque basilica magis inter se communicent, quam iliacæ inter se, & quod opposita basilica azygotæ anastomosi vicinior sit multo quã saphena directa, quæ ab azygotæ orificio plurimũ distatat: que ideo magis cum azygota cõmunicet quam saphena, vt videre est ex figura prima opposita in fine articuli 5. in qua locus sectionis saphenarum not. *i. i.* multo longiùs distat ab ostio azygotæ not. *b*. quam locus sectionis basilicarum not. *g. g.*

Itaque respondeo, reuera illum diffidere communioni venarum originali quã per ὁμοζυγίαν interpretatus est Galenus. Est Galeni terminum declinans Gardinus, eas anastomoses exortus vocat quasi aliud diceret, & concludit quod directa sectio non reuellat à pleura respectu anastomosis azygotæ, *sed respectu venarum mamillarium, musculeæ, & thoracicæ eiusdem lateris* per anastomoses terminales, quas originalibus præfert. Et sanè his diffidit, qui illis nimium fidit, quarum cõmunionem nullius esse momenti, aut vtilitatis ostendimus articulo 5. *Propos. 9. decret. in apol.*

Ratum ergo sit, quod vtraque subclauia,

uia, & ex ijs prognati ſtolones magis inter ſe communicant per originales anaſtomoſes, quam iliacæ inter ſe per ſuas, quia etſi hæ vt ſubclauiæ ſint eiuſdem lacunæ fauces, tamen iliacarum oſtia, non ita è directo ſe reſpiciunt, ſicuti ſubclauiarum, vnde meritò illas directè inter ſe communicare aſſeruimus: Ex qua rectitudine fit: quod inanitione coniugis oppoſitæ facilius ſequatur & attrahatur ſanguis, qui in oppoſita eſt ſubclauia, quam qui eſt in oppoſita iliaca eiuſdem coniugis inanitione, nempe qui in oppoſita eſt iliaca, ſi à coniuge retrahitur, ſurſum trahi debet ſic docente Fernelio, quod difficilius fit ſi ipſi credimus, at qui ex oppoſita ſubclauia in coniugem attrahitur, vel deſcendit, quod facile fit, vel duntaxat in tranſuerſum abit: eodem docente Fernelio.

Orat. 1. pag. 23. & propoſ. 9. decret. in apol.

Quod nititur negare Gardinus, *quia, inquit, magnum chaos intercedit inter vtrãque ſubclauiam*, quod falſum eſſe oculis demonſtratur in figura 1. vtraque ſubclauia not. *e. e.* proximè & è directo ſe reſpiciunt, & in lacunæ portu not. *c.* vniuntur, ex qua ſubclauiarum cõmunione, ſequitur & oppoſitarum intercoſtalium, mammillarium & thoracicarum ab ijs prognatarum,

natarum, maiorem esse communionem, quam sit saphenarum cum illis, inter quas & saphenas magnum reuera chaos interiacet, vt videre est in eadem figura: si interuallum respicias ab *i. i.* saphenas, ad *e. e.* subclauias *d d.* mamillares *f. f.* thoracicas *h. h* intercostales. Cum igitur videret se falsum asserere & sensibus imponere, *Concesso*, inquit, *quod subclauia magis inter se communicent, quam iliacæ inter se, sequiturne quod venæ, quæ sunt in thoracis latere dextro habito respectu ad azygotam, maiorem habeant & magis directam communionem cum basilica sinistra, quam cum iliaca dextra?* Orat. 1. pag. 24.

Respondeo quod sic, quia sunt magis vicinæ anastomosibus originalibus per quas fit ad pleuram fluxio, quæ vicinitas facit ad communionem maiorem sicut probatum est articulo 7. & ad reuulsionem, per Canon. 7. & ideo directam secantes, concludunt, semper directam potenter ab azygotæ anastomosi vacuare, saphenam nil posse, vt suprà probatum est querela 3. & articulo 7. quod vt est, & oppositam eadem præstare necesse est, quæ ab anastomosi originali azygotæ æquidistat, inter quam & saphenam magnum

reuera chaos intercedit.

Insuper, ex suprà posita doctrina & demonstratione ex figura prima, basilica opposita communionem habet per oppositam subclauiam cum stolonibus ab illa prognatis qui per latus propagantur oppositum, eamque proximam, saphena non nisi mediante lacuna, & quidem remotissimam sicut eadem demonstratione ostensum est, vnde rectè conclusit à Vega; *Quis adeo imperitus est, vt putet crure laborante scissa vena brachij, fibras ipsas ex crure trahere sanguinem?* & vice versa.

Art. med. lib. 1. sect. 3. cap. 1.

His ergo originalibus anastomosibus diffidens Gardinus, nam ipsius doctrina *venæ quæ sunt in vno latere thoracis, vix vllam habent communionem cum venis quæ sunt in latere thoracis alterius lateris*, ad terminales confugit, quas nullius esse momenti in sanguinis missione demonstrauimus, per quas tamen vult *sanguinem à latere pleuritico, commodius, celerius, compendiosius, facilius, directiusque atque salubrius, abduci, reuelli, atque educi*, quæ sic profitetur & asseuerat; *vt pro certa fide medica ac scientia demonstrata habenda sint*

Orat. 1. pag. 23.

Orat. 1. pag. 22.

QVE-

QVERELA VI.

Orat. 1. pag. 25. Quærit Gardinus. *Quod ad nostram controuersiam attinet, esse maiorem communionem venarum quæ ad brachia hinc inde ducunt, quam sit iliacarum inter se, quæ ad crura hinc & hinc?* Pag. 23. orat. 4.

RESpondeo primò; Si nihil interest, cur tantopere conatur id reprobare? cur contra disputans orat. 1. pag. 22. declamat. *Dixi hæc, sed iterum iterumque (quia ad rem maximè faciunt, falsitatemque homines alioquin interempturam auerruncant, veritatem autem incolumitati propiciam salubriter stabiliunt) lubet repetere, iuuatque.*

Ergo multum interest, cum in eo & veritas, & hominum vita periclitetur, & interest mihi has propositiones stabilire. Quia si propter communionem originalem, quod omnes & ipse iam fateri coactus est, opposita saphena ab opposito pede reuellere potis est, & ab omnibus stolonibus venarum quæ in opposita sunt tibia, pede, & crure, citra vllas terminales anastomoses, sed duntaxat per originales, Cur opposita basilica, quæ ex supposito magis communicat cum dextra, non re-

uellet ab omnibus venis quæ cum dextra communicant, & ab omnibus quæ à dextra ſubclauia ortum habent, id etiam atteſtante experientia, dum ratione inflammatæ manus, cubiti, aut humeri, oppoſita baſilica ſecatur non ſaphena?

Sed & hic Gardinus ſe iugulat, dum ad reuulſionem, ſiue auerſionem ſpecificam, oppoſitam cephalicā ſecari iubet in pleuritide à refluxu à capite, par enim eſt ratio cephalicæ ad cephalicam & baſilicæ ad baſilicā, vt videre eſt in figura ſecūda, quod ſi illa ab oppoſitis ſtolonibus rectè reuellit & hæc idem à ſibi oppoſitis præſtet æquū eſt: Non ergo quod objicit ibi Gardinus, de altera manu, aut altero humero curando agimus, niſi per accidens, ſed de affecto latere ex profeſſo.

In analyſ prop. 8. & Antich. pag. 92.

Sed eſto, inquit Gard. *per ſectionem baſilicæ ſiniſtræ euacuaueris quidquid eſt ſanguinis in omnibus brachij dextri venis, & reuelleris quidquid eo fluxurū fuerat, idcone euacuaueris vel reuelleris quidquam per ductum azygotæ ex venis quæ ſunt in thoracis latere dextro? en*, inquit, *argumentum quod ſtringit & arctat*: At quod ſic ſtringit argumentum, ſic facilè diſſoluo, &

Orat. 1. pag. 25.

Dico primò, me hypotheſim accepta-

re, quæ amplius negari non poterat, sic enim rem se habere probatum est articulo 5. demonstratione anatomica, ex qua assertione sequitur opposita sectione per prætensas terminales anastomoses à parte affecta, proclamata à Gardino vacuatio si plenius vacuamus, quod nullo modo nec intendimus, nec curamus, cum sufficiat arte reuellenti, sanguinis fluxuri & fluentis ad affectam partem per dictos stolones, si illuc fortè fluat, in lacunæ biuio intercepti reuulsio per Canon 8. & 9.

Dico 2 quod etiam ab ostio azygotæ & per eius ductum reuello, per quam (quod post Fernelium fatetur etiam Gardinus) *Orat. 1. pag. 24.* vt plurimum fit pleuritis, quia vtraque basilica ab anastomosi originali azygotæ æquidistans ab ea æqualiter reuellit, & quidem opposita citra fluxionis metum. Insuper addo, si Fernelio & sequacibus credimus & Gardino id nobis obijcienti, *Orat. 4. pag. 76.* quod & per azygotam ex lateris affecti propaginibus euacuo non impactum & extrauasatum, quod ipsi volunt, sed fluxilem vt querelæ in omnibus satisfaciam, quod amplius probaui in responsione ad propriam obiectionem articulo septimo.

Orat. 1, pag. 25. Increpat Gardinus.
Dic inquam mihi, estne pleuritis in alterutro thoracis latere, an in alterutro brachio? Ego, quando seco à principio aliquam inferiorem, sanguinem à thoracis latere auertere, reuellere & euacuare satago, non à crure altero, quia non aspicio quam crus cum crure habeat communionem, sed quam habeat cum venis quæ in thoracis latere sunt.

Dico primò, quod dictio πλευρῖτις, à πλευρα membrana thoracis oblinente latera, partem affectam satis indicat. Interim,

Notandum quod hic Doctor Hippocratis & Galeni doctrinam confundens; vno & eodem tempore, vna eademque sectione, ne aberret (cum tamen maximè erret) auertit, reuellit, deriuat & vacuat. Et reuerà sic docenti, talia dona concedi possunt, qui modo *sanguini motum imprimere nouit*, vt illum pellat quo vult, modo eundem *docet, vt quo lubet sequatur, & obediat quatenus vult & hactenus*.

Propos. 5. decret in apol & Annal. prop. 3. in orat. quod.

Dico 2 quod Doctor hic gloriatur se non considerare, quod maximè debuit, nempè quam crus cum crure habeat communio-

munionem, quia hac consideratione directam secantes, saphenarum sectiones damnarunt, quod putent has partes inferiores & circumuicinas ratione communionis κατ' ἴξιν, saphenæ sectione primùm omnes vacuari, antequam quidquam è superis partibus talis sectio euacuet, quod demonstratum à nobis est articulo 7. in responsione 2. ad primum argumentum pro saphenis, & ideo ista ego consideratione motus & alia perpendens cōsideratè consideraui quā habeant crura inter se, sicut & brachia inter se communionem.

Dico tertiò morbi tempora distinguendo, me in morbi principio non duntaxat à thoracis latere affecto intendere, reuellere, aut vacuare, sed potius à tota parte opposita sanguinem euacuando, simul fluentem ad partem affectam sanguinem in via intercipere, & ad oppositam potentem & valétem attrahere: Atque ideo non solum aspicio quam habeant brachia inter se, & cum parte affecta communionem, sed etiam quam totæ partes vnius lateris totius corporis, cum totis oppositis habeant societatem, eo quod potentes, ad oppositam sibi debilem totam sangui-

nis æstuantis molem continuò depellant, sicut probatum est articulo 6. qua de causa opposita valens, vt pars mittens consideranda est, sicut & fluxionis origo & via qua fluxus fieri potest, per Canon. 6. quo canone docemur, quam proximé fieri potest, ad fluxionis fontem sectionem instituere, longissimè tamen vt prodesse possit à parte affecta reuellẽdo in cõtrarium per eam, & ad eam quæ sana est, quoniam in morbosa, sectionem fieri vetat cum experientia Galenus, ipsoque docente redundantiæ pleuriticæ fontem lacunæ partem esse superiorem & proximè ab ea enatos stolones didicimus.

Nat. facult. 2. cap. 1.

Hinc medicinæ illa columina & primates, quos inuocat Gardinus, in principio saphenæ sectionem, quam oppositæ præfert, absolutè damnarunt, nisi (quod raró accidit) aut menses, aut hæmorrhoides stagnarint, quem fluxionis fontem tãti fecit Iul. Guastauinius, vt Gardini opinionem, & simul directè perpetuò secantium condemnans sic concluserit. *Si menses, aut hæmorrhoides suppressæ fuerint, quia à fonte ipso reuulsio molienda est, saphena tundenda est. Sin minus, siue ad læuum, siue ad dextrum latus inclinet sanguis, oppositam partem*

Antich. p. 59. orat. 3.

Loc. med. sel. cap. de pleur.

partem secabimus contrarium motum opponentes: & postea cumulatis rationibus, de omni pleuritide sic decernit.

Siue ad læuum moueatur, & vel per venã à caua proximè enatam (idest intercostalẽ) *nutrientem tres, aut quatuor costas superiores ibidem inflammationem facturas, vel per axillarem & eius ramum* (mamillarem & thoracicam) *vel per ramos qui ab azygota octo inferiores costas nutriunt; Si inquam ad læuam, vel hac, vel illac moueatur sanguis, basilicam dextram aperiemus, longissimè ad contraria fluxionis initia retrahentes: Itidem si ad dextram partem per venam nutrientem tres costas superiores eiusdem lateris, vel per eam quæ est sine pari nutrientem reliquas octo, aut nouem, reuulsionis gratia sinistra aperienda est, eadem ratione, maiorique vtilitate quod vtrobique ad excipiendam facilè fluxionem aditus pateat.*

Qua sententiæ Guastauinij explicatione in omni pleuritidis differentia, à fluxionis fonte & via desumpta, oppositæ sectionis vtilitas clarè, dilucidè, diuisim, & ordinatè probatur, & malè Gardinum vniuersaliter enuntiasse *Saphenam directam tutius, melius, & vtilius secari.* Quin & huius querelæ solutione. Clariss. D. Re-

migij

migij condemnantur contra me decretæ conclusiones: quarum,

Prima 30. Aprilis 1632. Francisco de Viene defendente sic se habet.

Illis pleuriticis, quibus medicus secat venam non è directo, sed ex aduerso, optandum foret, quod eorum natura tam robusta esset, vt cum posit superare morbum, posit etiam mali medici corrigere erratum. Cui antithesim hanc oppono;

Illis discipulis, quos docet Schola Duacena, pleuriticis venam semper è directo, nunquam ex aduerso secandam, optandum esset, quod illorum mens adeo sagax esset, vt cum possent superare docentis iudicium, & simul possent mali præcepti corrigere erratum.

Secunda 30. Iulij vulgata est, Duaci eodem defendente Francisco de Viene Paulensi supradicto Anno quæ sic habet.

Parum ad rem facit quod cubitus dexter pleuritidi dextræ sit, aut non sit contrarius.

Tertia 14. Sept. eodem Anno defendente Guilielmo Durando Burburgano: quæ sic habet.

Malè, vt voluit quidam, in pleuritidis curatione secatur vena in latere opposito, seu aduerso.

Quarta

Quarta Anno 1633. Aprilis ... defendente Ioachymo Odofalchenberg: quæ ſic habet.

Reuulſio venæ ſectione tranſigenda, è directo euidens ſubſidium & celeriter adfert, è tranſuerſo nullum.

Hinc periculoſa eſt etiam illa eiuſdem Clariſſimi D. Remigij concluſio, *Inflāmationes, quæ vel axillas, vel humeros malè habent (niſi ad brachij flexum pertingāt) eodem in latere ſecta vena reuellendo, deriuandoque prodeſt, quum autem ſeo peruenietur (quoniam partem phlegmone obſeſſam proritare tutum non eſt) manus è directo aperienda eſt vena*, quæ eſt parum conſtās Fernelij doctrina, Sicut notauimus in reſponſione ad quæſitum Iouberti Articulo 7. pag. 189.

Theſi excuſa Duaci Anno 1634. die ... Septēbris defendente Mart. le Sage Cameracēſi.

Quas concluſiones & alias licet amarulentius vulgatas importunis credo collegæ clamoribus, ſatis habeo ſic refutaſſe, & Clariſſimus Remigius æqui bonique conſulet, ſi Profeſſoris quondam primarij & magiſtri mei Mauronti le Conte decreto, doctrinam eius ſic condemno: qui ſic decernebat Anno 1612. Iulij 18 defendente collega meo Ioanne Iorch nobili Anglo Eboracenſi pro vltima ad ba-

cha-

chalaureatum responsione,

In pleuritide, vena potest ex vtroque latere secari.

QVERELA VIII.

Quærit Gardinus orat. quod. 3. pag. 55.
Quod si renuat æger saphenam secari, vtram basilicam eligeres, scilicet in pleuritide quæ est aliquatenus in fieri, & aliquatenus in facto esse, & corpus est plethoricum?

RESpondet ipse sub conditione meditans effugium, qui culpam fateri erubescit. *Si*, inquit, *azygotæ*
Pag. 55. *anastomosim spectes nil refert vtram seces, sin autem spectes intercostalem, mamillarem, & thoracicam, secunda sit naufragij tabula,*
Pag. 57. *at non sine periculo, etsi cum aliquo tractionis periculo sursum; Seca in nomine Domini basilicam lateris oppositi, vt interim dum ex eius vulnere effluit sanguis, auertatur ne fluat ad istas supradictas affecti lateris venas, ea cautione, vt per hanc sectionem dempta plethora, paulo post seces eiusdem lateris basilicam, ad deriuandum & euacuandum, illum nimirum qui præter plethoram particularem nimius est in loco pleuritico, quique in azygota, intercostali, mamillari, thoracica,*

causa

causa est coniuncta & continens pleuritidis actu ferocientis.

Dico 1, benè esse si opposita sectione (quod negauit propos. 9. decreti) auertimus sãguinem à stolonibus lateris affecti, & sufficit reuulsioni in principio, & quidem tutò id fit, refertque & interest sic fieri, etsi contra sentiat Gardinus, etiam respectu azygotæ, considerato partis mittentis & fluxionis fonte per Canon. 6. & 7. sic etiam asserente Iulio Guastauinio de omni pleuritidis differentia, ne ad partem affectã fluxio proritetur, sed lõgè ab ea retrahatur, quod & in querela 6 probatũ est. *Querela 7.*

His accedit quod mamillarium dubius est ortus, nam sæpè solitaria deprehenditur à medio cauæ oriri, vndè parem habet cum azygota considerationem respectu vtriusque basilicæ: Intercostalis duas, aut tres ad summum costas superiores alit exilibus ramusculis, & illam Vesalius in pluribus corporibus non reperiri asserit, sed sæpè tres illas costas ab azygota enutriri, per thoracicam nota fit pleuritis.

Cum itaque difficile admodum sit, imò impossibile conijcere, qualiter in pleuritico, quem curas, venarum exortus & progenies sint dispositæ, & vehementem

pleu-

pleuritidem quæ ab hypochondrijs ad iugulum dolorem extendit, per azygotam fieri cum Galeno & Fernelio, fatente etiã Gardino omnes affirmẽt, tutissimum semper erit in pleuritidis principio sic agere, qualiter ageretur, si per azygotam fluxionem fieri certum esset, quippè iam confectum est, oppositam sectionem ab ea tutò reuellere sicuti & à partis affectæ stolonibus, nec duntaxat plethoram euacuare, sed etiam influentem ab affecta parte sanguinem reuocare.

Lib. de part mor. cap. 11.

Interim notandum Gardinum hic confusè loqui de loco materiæ morbificæ: Porrò locus pleuriticus teste Galeno & Fernelio, est vbi coniuncta operatur & agit materia actionem lædens cum doloris sensu, quod agit vel in pleura ipsa, vel intra ipsam & costas, vel in mesipleurijs vbi azygotæ terminantur apices. Cum autem ab azygotæ anastomosi ad eius fines longa sit via, per eam necesse est fluat sanguis priusquam ad fines, & pleuriticum locum perueniat: Probabitur autem querela 12. quod sanguis venis intermedijs contentus in fluxu sit causa antecedens, & tunc demum coniunctam fieri, esseque proximam cum ad locũ pleuriticum perueniat

5. de mor. cap. 10.

uenerit, ad extremos ſcilicet apices & venulas capillares, vel dum ex ijs in vacuis locis effuſus eſt; Quæ cum ita ſint ſi Galeno credimus, non benè docet *cauſam continentem & coniunctam fluitare in venis illis communibus, azygota, intercoſtali, mamillari, thoracica*, & vt coniunctam vacuandam & deriuandam è directò, is enim ſanguis cum fluit nondum in phlegmone collectus eſt quem pag. 57. *deriuari & euacuari oportere* rectius cenſet. Nos igitur fluitantem communibus venis ſanguinem vt antecedentem pleuritidis materiam reuulſioni ad oppoſita addiximus, coniũctam & collectam in phlegmone deriuationi & euacuationi per Canon. 7. 8. 11.

Dum hæc ſcriberem, reddita mihi eſt epiſtola eruditiſſimi D. van Houtte medici Winocibergenſis, inter alia quæſita, quibus anacephalæoſi reſponſum eſt, ſcribit: *Conſtat oppoſitam reuulſionem rectè inſtitui in principio, at quamdiu reuulſio facienda ſit, ex paræneſi non conſtat, ſicuti nec de ſanguinis vacuandi quantitate:* inſuper ait oportere me ſigna edocere, quibus iſta medicus aſſequi poſſit.

Enimuerò, etſi id mei inſtituti non ſit

ſed

ſed duntaxat probare reuulſionem ad oppoſita in pleuritidis principio tutò fieri, tamen vt quæſito amplius ſatisfaciam,

Dico primò, quod vacuandi ſanguinis quantitas, licet ab Hippocrate & Galeno, dum deriuant ſimul & reuellunt, & à parte affecta in ſtatu vacuant, vbi minor videtur dubitatio, ſtatuatur ſanguinis mutatio, ita vt puro corruptus ſuccedat aut è contrà, fallax viſa eſt indicatio Aureliano, Aræteo, Archigeni, & neotericis Mercuriali Altomaro & omnibus, quippe ſic inſtituta vacuatione, etiam repetita, obſeruatum eſt ſæpe nec dolores leuatos, nec ægrum ſanatum, tota enim ſanguinis maſſa ita ſæpe corrupta eſt, vt cum ſanguine citius animam ducas, quam purum eliciàs, & contrà ita purus eſſe poteſt ſanguis, vt corruptum & liuidum nunquam detrahas, quin prius ægrum iugules, ac præcipuè in morbi principio, quo tempore fallaciſſimum peteretur ſignum, tũc enim vt plurimum ſanguis nondum corruptus eſt, conformiter doctrinæ Auicennæ lib. 3. Feu. 10. tract. 4. cap. de pleur.

Quantitas igitur ſanguinis vacuanda ad reuulſionem, à ſolerti medico facilè cõiectabitur, ſi plethoræ magnitudinem cum

phleg-

phlegmonis magnitudine commenſurare nouerit, is enim tantum ſanguinis oppoſita ſectione detrahet, quantum opus fuerit ad plethoram & cauſam antecedentem euacuandam, efficietque ne fluxio geminetur, ita vt ſi malum ſtatim non leuetur, ſaltem non augeatur, atque ſic compoſito corpore ad directæ ſectionem tutò procedet.

Dico igitur 2. tamdiu oppoſitam reuulſionem vtilem fore, quamdiu pars mittens ſatis ſit vacuata per Canon. 6. vel quamdiu materia antecedens erit in fluxu, iuxta doctrinam Hippocratis & Galeni per Canon 7. & 8. quæ fluxio tamdiu cenſetur fieri, quamdiu dolor augetur, ſic docente Heurnio *dolor enim fit ab influxu qui partem diſtendit*, vndè quo plus affluit plus diſtenditur, & quo plus diſtenditur plus dolet, quod ferè fit in augmenti principio: Sic Rhaſis ad Almanſorem cap. 7. lib. 9. Meſue, ſumma 7. cap. de pleur. & Halliabbas pract. lib. 6. cap. 13. & Galenus docent diſtentionem in pleura cauſare dolorem; Dierum tamen non poteſt certus præfigi numerus, quippe idem Galenus ſatis oſtēdit cuiuſque morbi non eandem eſſe latitudinem, breuiorum breuiora eſſe

Cap. de pleur.

Criſ. lib. 1. cap. 4.

tẽpora: Sic quarundam pleuritidum principia septimum superarunt, sicut in Anaxione, longitudinem autem morbi conijciunt medici, ex materiæ morbificæ quantitate, cruditate, natura, febris magnitudine, symptomatum celeritate, vehementia & motu, ægri temperie, complexione, anni & tempestatis constitutione & regionis, ab excretorum concoctione & infinitis alijs quæ aphoristica breuitate passim pronuntiauit Hippocrates, quæ omnia à solerte medico, quod docet Huartes, in instanti comprehenduntur, hæc tamen comprehendendi scientia nulla arte edoceri potest, *Los hombres aya entre ellsos*,, *particularidades de tal condicion que ni se pueden dezir, ni escriuir, ni enseñar, ni recoger-las, de tal manera que se pueden reduzir à arte, sino que conocer las, à solos aquellos les es dado, que muchas vezes las vieron y trataron.*

Galen. Cris. 1. cap. 13.

In exam. cap. 12.

Quippe illa intellectus operationes non sunt, nec vi discursus demonstrantur, sed imaginatiuæ certæ, celeres sunt comprehensiones. *Para alançar*, inquit Huartes, *este conocimiento, tiene la imaginatiua ciertas propriedades inefables con las quales atina à cosas, que ni se pue-* *den*

In exam. de ing. cap. 12.

den dezir, ni entender, ny ay artes para ellias. Y assi veemos entrar vn medico à visitar el enfermo, y por la vista, oydo, olfacto, y tacto, alança lo que parece cosa impossible: de tal manera, que si al mesmo medico le preguntassemos, como pudo atinar à conocimiento tan delicado, no sabria dar la razon, porque es gracia que nace de vna fecundidad de la ymaginatiua, que por otro nombre se lama (solertia) *laqual con senales comunes, inciertas, coniecturales, y de poca firmesa en çerrar, y abrir el ojo, alcāçan mil differencias de cosas, en las quales consiste la fuerça del curar y pronosticar con certidumbre.*

Quod & ipse docuit Galenus *Concursus enim (quos syndromas vocant) symptomatum infinita cum sint, experientia sola iudicari possunt, quocirca nemo illa obseruare, neque memoria tenere potest*, hinc lib. de ord. lib. suo. *Mirum non est*, inquit, *in tāta hominum multitudine qui in medica exercitatione studioque versantur, inueniri tam paucos qui rectè in illa profecerint.* Cris. lib. 1. cap. 13.

Et si verò Arabes principium pleuritidis diatrito metiti sint, & Heurnius cum alijs affirmet materiam semper influere vsque ad quartum, tamen ex Galeni suprà posita doctrina, contingit etiam sæpe diu-

tius influere & principium protrahi: Quin & fluxionis nouæ ratione Heurnius etiam postquam directam secuisset, ad oppositam recurrit; *Si*, inquit, *corpus circumfluat à sanguine, isque adhuc influat, etsi einsdem lateris secta vena fuerit, eodem die, vel sequenti feriemus aduersam venam, quo caput quod graue est à sanguine, toto venarum genere distento corpore ad latus aduersum materiam effundat*: quo dogmate docemur oppositam sectionem ad se sanguinis molem conuertere, nec, quod ait Gardinus, *frustraneam esse oppositam sectionem post directæ sectionem, neque ardelionis opus esse per fas nefasque suam opinionem stabilientis, & populo imponentis*, ni Heurnius doctus ille medicinæ professor sit ardelio, & cum eo Sennertus inquiens: *Cum reuulsio opposita humoribus fluentibus debeatur, non ijs qui iam influxere, incipientibus fluxionibus præcipuè adhibenda est. Est tamen cum reliquis quoque temporibus reuulsione opus est, si enim fluxio aliqua sit diuturnior, contumax & rebellis, etiam in iam inueterata, & post principium, reuulsio adhiberi debet*.

Li pract. cap. de pleur.

Orat. 1. pag. 29.

Inst. lib. 5. pag. 2. cap. 18.

Ego sanè Audomaro Castal Cæmentario qui iacebat in via *Repstract*, postquã illi

illi ſecundò directa ſecta fuiſſet, in pleuritide ſiniſtra, infra quartum, vacuatis ſexdecim & plus ſanguinis vncijs conſilio medici le Prebſtre, ſæuiente, imò tunc etiam ingraueſcente malo cum deſperaret, per oppoſitam baſilicam decem circiter, aut paulò plus ſanguinis vncias vacuari iuſſi, qua vacuatione ſubitum ac tale leuamen ſenſit, vt poſtero die ex toto reſtitutus ſit, quod & in alijs ſæpe expertus ſum. Sciunt Patres Collegij Anglicani, in quo ducenti ferè ordinario ſunt adoleſcentes, me fœlici ſucceſſu, nunquam quod meminerim infœlici, quampiurimis oppoſitam ſecuiſſe.

Domini de Bocourt vxori ſiniſtra pleuritide correptæ, cum in principio ſtatim vel inuitus directam ſecarem & profuſis quatuor circiter ſanguinis vncijs exclamaret ſibi dolorem augeri, ſuppreſſa vena ilicò oppoſitam aperiri iuſſi, & duodecim eductis ſanguinis vncijs ſubitum leuamen conſecuta eſt, huius rei teſtes plurimi & cum coniuge ſuperſtes Domina. Duæ Moniales in clauſtro B. Mariæ de Sole eiuſdem pœnè ætatis, vni nomen Maria Leullieu, alteri Antonia Lienart, pleuritide ſimul afficiuntur, huic quin-

quies secta è directo vena & cum summo periculo post longum tempus conualuit; Mariæ idem contigit quod D.de Bocourt, & detractis duodecim circiter ex opposita basilica sanguinis vncijs præsente Pastore Sanctæ Margaretæ earum confessario, subitò leuata est, mirante Pastore, quod prout sanguis fluebat, minuebatur dolor proportionatè; Quid aliud hic conijciendum quam primam sectionem, fluxionem ad partem affectam proritasse?

Magistro Francisco Fournier Sanctæ Margaretæ capellano plethorico notha pleuritide affecto, opposita sectio repetita morbum soluit.

D. Bertrand, nunc Carthusiæ Audomarensis Priori, in notha pleuritide idem accidit præsente tũc Priore D. Thoma Very.

Idem expertus sum in D. Petro de Grenet, D. de Beaurepaire in pleuritidis principio, idem sanè mihi in plurimis alijs fœliciter successit.

Rel. S. Bertini. Nouissimè & cum D. de Miraumont Archensis præpositus duobus mensibus à præcedenti pleuritide, opposito latere cum febre doleret, oppositam secari iussi & benè habuit: Qualiter & in pluribus religiosis successit eiusdem Monasterij Sancti

Ber-

Bertini, D. Beugin, F. Ogier & alijs.

Sed quid in eiusmodi experimentis enarrandis lectorem fatigans, tempus tero? testor, ita me Deus iuuet, me innumeris opposita sectione profuisse, nulli, quod sciam nocuisse.

Sed contra ista experimenta insurgit Gardinus, *Ardelionis*, inquit, *hæc sunt inuenta. Si primum per directam tot vncias detraxisses, idem leuamen habuisses.* *Orat. 1. pag. 29. & Anal. pag 7.*

Respondi, neutiquam: quia si vacuati sanguinis quantitas ex opposita, causa est leuaminis, non sectionis ratio, Cur vt è directa fluebat sanguis, non leuabatur dolor ad fluxi proportionem, sed augebatur, sicut ex opposita quando dolor leuabatur, prout vacuabatur antequam iusta quantitas sanguinis vacuata ex toto dolorem leuaret? his nihil respondens, oratione prima pag. 29.

Regerit & quærit; *Si primò per oppositam tres, aut quatuor vncias eduxisses, tum alias decem, aut duodecim per eiusdem lateris basilicam, nonne eadem curatio contigisset?*

Respondeo quod non, quia quatuor vnciæ ad reuulsionem non suffecissent, nisi Erasistrateo, & illi qui octo sanguinis vncias directa sectione sufficere asserit ad

reuellendum & à parte vacuandum: & reuera talis oppoſita vacuatio redoleret quid ardelionis, interim etiam talis vacuatio aliquatenus ſanguinis impetum à parte affecta retraxiſſet, & ſequens directa ſectio minus fluxionem proritaſſet, ergo quod cupit ſincerè

Dicam me in conſultationibus, maluiſſe conſultãtium iudicium expleri quã meum, atque ideo cum praxis hæc vt noua (etſi antiquiſſima) iactaretur, & calumniæ agentem exponeret, multumque interſit medicum ſuam ſibi famam innocentem etiam ob publicum bonum retinere, malui, inquam, communi opinioni, etſi erroneæ, ad tempus ſeruire, ita tamen ne nocerem; cum igitur directa ſectione adſtantes & ægri experti aliquando fuiſſent directa ſectione dolorem augeri, ad oppoſitam tutò me contuli. Crudelis ſanè eſt & deteſtanda peruicacia, mutare ſententiam nolle, ne non antè ſapuiſſe videamur.

Non ſic egit medicinæ parens Hippocrates, qui in pleuritidis principio fomentis vſus, & his non leuari ſed augeri malum videns, fluxionem proritari coniectãs, non erubuit illis reiectis ad venæ ſectionem

De vict. rat. in acut. 2.

ctionem

ctionem se conferre, & pudebit, aut ardelio erit, qui detractis aliquot sanguinis vncijs è directo cum doloris exacerbatione in melius sententiam mutabit? *At si amplius detraxisses dolorem leuasses.* Indoctus es, Heurni, qui post fomenta & directæ sectionem ad oppositam recurris; Indoctus es, inexpertus, & leuis ô Hippocrates, si Gardino credis, balnea continuasses & fomenta calidiora adhibuisses Anaxioni & dolorem leuasses; docuisti nos *Omnia secundum rationem facienti & non proficienti, non oportet ex alio in aliud transire.* Sic est, at sic peruicaciter agere, non est rationem cum experientia coniungere, sed iuniores medicos ad peruicaciam adhortari, & desipere: *vbi sensus vigit ibi deficit ratio cum ostentatione.* His & alibi scriptis abundè satisfactum puto eruditissimo van Houtte, vt qui medicinam iam à multis annis exercuerit: atque his per trãsennam deductis ad Gardini propositam querelam redeo &

Gard. orat. 1. pag. 29.

Aphor. 52. sec. 2.

Arist. phys. 1.

Concludo me non solùm, quod ante in Querela 7. probaui respectu azygotæ, nedum intercostalis, mamillaris, & thoracicæ ad opposita reuellere, sed respectu oppositionis totius medietatis corporis ad alteram,

teram; quæ ratio Gardinum latuit, vel dissimulâter præterijt etsi eam dederim in explicatione motus critici: Quam rationem solam ausim ego omnibus Gardini sophismatibus & nebulis, vt firmissimum vmbonem opponere; Hanc enim tanti fecit magnus ille Scaliger, vt post multorum annorum experientias sic concluserit.

In Paraenesi prima arti-

Coment. in lib. de insom. Hipp.

Finem in quem intendimus hunc esse par est, prohibere sanguinis copiam ne ad malè affectum currat locum: Ergo ab opposita parte sanguis detrahendus, nam si dolor in latere sinistro sit, aperta ibidem vena plus trahit à dextro in sinistrum, quam dextra incisa in sinistrum, plus enim humoris est inter circumferentiam dextram & doloris locum, quã inter eundem locum & circumferentiam sinistram: Vnum habent quo perfugiant non prodesse quoniam nulla sit, vt appellant, colligantia; at

Nos dicimus non nunc agere vt quod influxit detrahamus; neque enim magni momenti est, neque quisquam prima statim die mortuus est, sed post multam affluxionem, quam tollit vena contraria remota, vena autem eiusdem lateris, non solum non tollit, sed etiam trahit ad locum malè affectum. Itaque toto post facto fluxu, ex eadem parte quoque

detra-

detrahimus; Ac de ratione quidem hæc, de experientia quid dicamus facilè in promptu est.

Iam duodeuiginti annos non nisi vnum vidimus ex eadem parte incisa vena euasisse: Et sanè corpus erat athleticum, vt etiam magis miraremur. Verum scimus multos etiam sine phlebotomia sanos factos: At plus octoginta redegimus in comentarium quinto ab hinc anno, qui omnes eo curandi genere extincti sunt, cum plus quingenti his duodecim annis euasissent, quibus in aduerso cubito vena aperta fuerat. Ecce quam validè & ratione & experientia nostram sententiam confirmat Scaliger, vndè concludere hic iterum iure meritò possum, non benè conclusisse Clariss. D. Remigium.

Speculatores sunt, non practici, qui in pleuritide venam lateris sani incidunt.

Duaci āno 1633. Sept. 3. defendente Ioanne Baptista Doulcet Insulens.

QVERELA IX.

Quærit Gardinus orat. prima pag. 19.
Dic ergo vbi vidisti Gardinum non opportunè secuisse?

SImiliter quærebat in decreto, vbi cum quinquaginta circiter sanguinis vncias quinque sectionibus è directo vacuatas nil profuisse, sed ægrum

sexto

ſexto interijſſe ſcripſiſſem, docet Gardinus nō ideo eueniſſe, quod reuulſio ex oppoſito non præceſſiſſet, ſed quod nimium ſanguinis eduxiſſent medici cum quibus conſilium inieram & *dum nimium ſecas*, inquit, *necas & vitam cum ſanguine fundis, & præſtitiſſet in hoc caſu, poſt octo, aut nouē vnciarum euacuationem, maturationem cunctando, præſtolari, & poſt per puris expectorationem perficeere curationem.* ad hæc reſpondi in apolog. dum Gardinus non quomodo & quantum opus eſt vacuat, ſuffocat;

Nempe ſic agit contra Hippocratis, Galeni, Fernelij, Fuccij, Hollerij, Rondeletij, Laurentij, Dureti (quos medicinæ primates appellat) decreta, qui in pleuritide ſanguinem ducunt dum color mutetur: Ipſe Galenus in acutis paſſionibus, & vehementibus doloribus ad animi deliquium excluſiuè ſanguinem duxit, & cotilas ſex protinus detraxit κοτύλας ἓξ id eſt vncias quinquaginta de Curandi R. per V. S. cap. 12. λίτρας 5. cap. 14. & erit qui dicat tantos viros ſic agentes ægros iugulare?

Conſultius itaque erit materias morbificas reuellere & diſtrahere, quam pati

con-

congeſtas ægri diſcrimine ad ſuppuratio-nem verti, ne ægri, vel propter multitudi-nem & perniciem ante maturationem op-primantur, vel empijci fiant & ſuppurati, vel repentè ſuffocentur, pure per aortam in vitæ fontem affatim irruente, quod ple-riſque accidit, & nuper id poſt vndeci-mum diem obſeruaui in religioſa apud Vr-baniſtas Audomar. Franciſca Poulain, quæ ſuffocata eſt repentè maxima etiam puris quantitate paulò ante mortem per os reiecta: huic è directo quater ſecta ve-na fuit, quod illa affinem medicum haberet, qui ſectionem oppoſitam ita infamabat, vt aſinorum doctrinam eſſe proclamaret, ipſaque religioſa eo errore præoccupata, oppoſitã ſibi ſecari timeret.

Difficilis ſanè eſt euẽtus pepaſmi pleu-riticæ materiæ, quoniam fortunatior peri-culo non vacat, vt expectoratio, diffici-lior cum per vrinas traducitur, calamito-ſus dum per inteſtina viam quærit, ſic do-cente Hippocrate & Auicenna, quod te-ſtatur Anaxionis hiſtoria cui concoctio-nis ſigna vndecimo tantum apparuerunt, & quidem debilia de ipſo ſcribens Gale-nus; *Permutatur ergo rarò fauſtè niſi citò incunte morbo per ſputa breuietur*: addo & *Cap. de pleur.* *Lib. de Criſ. 2. cap. 8.*

quidem

Aph. 11. *lib* 1. & *prog. lib.* 2. *n.* 13. quidem laudabilia, vt voluit Hippocrates, quippe illo teste transposita sincopem minatur in corde effusa, coma, aut phrenetim in cerebro. Areteus de infœlici suppuratione perpetuò solicitus est & *quia*, inquit, *pulmo rarus & calidus ad seipsum trahit proxima, vndè subitò pereunt, si hæc pericula euaserint empyici fiunt & paulatim* *Hipp aph* 16. *sec.* 7. *contabescunt*, porrò *à puris sputo tabes*.

Qua consideratione moti præstantissimi medici, etiam pleuriticis qui in principio sanguinem spuunt, sanguinem mittunt, nec ideo *carnifices dicendi sunt*, quod ait Clarissi. D. Remigius, Rectè enim sanguinem spuentibus vena incidi- tur, quoniam is viam periculosam affe- ctat, satius est enim è brachio decem sanguinis vncias detrahere, quam vnam per os vacuari: Nūquid in hæmorrhagia sanguis mittitur licet viam ita periculosam non sequatur? Nisi igitur exiguus fuerit dolor, & nulla aut admodum parua febris comitetur pleuriticum, & nulla plethora quæ fluxionem ad partem affectam minetur, etiam sanguinem à principio, spuenti pleuritico, vena ex opposito secanda est.

Propos. 9. *thesis impressæ Duaci āno* 1633. *mēse Nouemb.* ... *defendente M. Ioā. Preudhome.*

At verò si pleuriticus nil spuat, spiritum vix ducat, & cætera pleuritidis symp-

tomat

tomata vrgeant, nunquid octo, aut nouem vnciarum vacuatione aru satisfaciemus? obseruo omnes medicos contra facere.

Quibus perpensis Gardini consilio valere iusso, Hippocratem & Galenum sequemur duces, quippe experientia edocti sumus, omnes ferè pleuriticos, opportunè administrata reuulsione, citò & tutò citra suppurationem sanatos. Rectè itaque docui, dum quis non opportunè secat, id est, non quomodò & quando, & quantum opus est vacuat, suffocat: Quod Galenus Erasistrato & Stratoni de puella Chyensi & Critone, quos defectu sanguinis vacuati suffocatos dicit, exprobrat.

Prudenter itaque faciunt, qui præcipiti occasioni seruientes (*circa quam*, inquit Galenus, *vides plerumque medicos, non modo vulgares, sed etiam præcellentes aberrare*) in principio sanguinem ad plures vncias detrahunt, Querelam concludat Iul. Guastauinius in Pisano gymnasio & nunc docens, doctissimus medicus & philosophus; *Quod si*, inquit ille, *vt Galenus demerent aliquando hodierni medici in morbis nonnullis, qui interdum, dum quinque aut sex vncias demunt, maximè inualescunt, debel-*

Coment. in aph. 1. lib. 1.

Locor. Med. cap. 9.

debellarentur protinus, nec redderentur incurabiles, Audacius igitur sanguinem euacuantes miras aliquando perficeremus curationes; sed cauti & infamiæ metu, nimirum timidi sumus, ne quem non seruauerimus (vt ait Celsus) eum perdidisse existimemur. Quis ergo non benè secat? qui quocumque tempore etiam in principio, directam semper secat. Quis suffocat? qui octo aut nouem sanguinis vncias dum fudit, phlegmonis maturationem expectat, quod faciendum docet Gardinus.

QVERELA X.

Orat. quodli. 1. pag. 26. declamat.

Temerè peccas & enormiter, dum me reprehendis, quod in pleuritidis plethorici corporis principio, dicam conuenire reuulsionem & euacuationem à loco affecto: Primò per venam cruris si magna sit plethora, & pleuritis sit omnino in suo principio, tum per basilicam eiusdem lateris. & sic insurgis.

In principio à parte affecta vacuare ab omnibus temerarium censetur, *nec, quod dicis Galenus id asserit, malè citas, non dicit* a, *sed* per, *in quo est magnum operæ pretium.*

Non

NOn negat Gardinus ſic ſe ſcripſiſſe, vbique enim gloriatur ſe id peragere, nodus eſt in citatione, locus Galeni ad verbum reddendus & explicandus.

Dico igitur, quod in principio pleno corpore à parte phlegmone tentata vacuare temerarium cenſetur, per Canon, 9. & 11. & ſi candidè egiſſet, non detortè interpretatus argumentum meum de voce *à*, vel *per* litigaſſet nodum in ſcirpo quærens, quæ voculæ à Galeno ſæpè pro eodem ſumuntur, ſicut *ex* & *à* 7. ſententia articuli 2. ſed ad rem;

Poſtquam Galenus incipientis oculi phlegmonis, in quo non ſolùm venæ capillares diſtentæ & ſanguine turgidæ apparent, ſed etiam communes & ſanguifluæ, ideoque cum plethora, curatiuũ ſcopum edocuit influxi à parte vel ex parte euacuationem, vel abuacuationem, *ſiquidem partis erat immoderata repletio*, & duobus modis id fieri, vel per humoris ex aut à parte retrogreſſionem & euacuationem, vel euacuatione per partem ipſam, *per* & *à* diuiſiuè incommoda declarat art. med. cap. 95. inquiens,

Si igitur corpus vniuersum plenũ fuerit οὐ χρὴ διὰ τοῦ πεπονθότος τόπου ἐκκενοῦν *per locum patientem non oportet vacuare*; docet autem modũ, *Nam si scarificationibus, aut sectionibus sensibiliter* ἐκκενώσομεν * *plus ratione excitati doloris attrahemus, Si verò calfacientibus dispergere tentabimus, plus erit quod vi caloris ad partem attrahemus, quam quod dispergemus, ratione cuius non licet* ἀποκένωσιν, *aut sicut Aldi codices habent* τὴν ἐκ τοῦ μέρους κένωσιν *instituere*, nempe huius periculi plethora statuitur, ex hipothesi.

* Ex parte euacuemus.

Hîc igitur ἀποκένωσις id est à parte vacuatio, idem est quod ex parte, vt supra dixit *ἐκκενώσομεν cucurbitulis, quod interpretatur ante διὰ τοῦ πεπονθότος τόπου *κκενοῦν per partem, sed missis grãmaticalibus argutijs

Videamus (in quo nodus latet) num tutius humor influxus à parte per retrocessionem, quam ex parte, aut per partem euocetur corpore pleno.

Quod si voluerimus, inquit, *quod influxum est retrorsum agere* παλινδρομεῖν ἀναγκάζειν id est, ad fluxionis fontem reuellendo in contrarium euacuare, *corpus plenum non admittet: Ad hæc igitur ambo* (vtrumque diuisionis membrum eodem periculo infamans) *totum corpus* κένωσαι *oportet*,

°οὐ ἀυ-

ἢ ἀντισπᾶσαι πάντως εἰς ἄλλα χωρία τὸ ἐπιῤῥέον τῷ πεπονθότι *aut omninò ad contraria reuellere loca, quod influit ad partem.*

Ergo, si Galeno credimus, corpore plethorico in principio phlegmonis, maximè si humor fluit, neque à parte, neque per partẽ, neque ex parte influxi humoris vacuatio facienda, priusquã totũ euacuaueris & fluẽtem ad partem humorẽ reuulseris εἰς ἄλλα χωρία ad omninò contraria, id est, ab vna corporis parte ad aliam, à dextra ad sinistram, quæ in toto contraria est, sicut à superiore infima: sicque faciendum præcipit Canon 7. & 9. & qui contra agit, temerariè agit arti Galenicæ dissentaneè. Iudicet ergo lector si Galeni textum malè citauerim, & illius sensum non sim assequutus. *Macte Galene*, hic ait Gardinus: Sed liceat mihi hîc Gardinum affari verbis quibus Erasistratum Galenus: *Quid ita rhetoricè sine demõstratione*, ô Gardine, *transcurris? dic aliquod dogmatis vitium, quo vel tibi veterem opinionem reprobanti credamus, vel te hanc minimè intelligentem ab errore reuocemus;* Nat. facult. lib. 1. cap. 16.

Increpat: *Egone dum sanguinem à latere reuello & euacuo, cucurbitulam super pleuritico latere applico? egone per ipsum* Orat. 1. pag. 26.

 locum

locum affectum sanguinem reuello & euacuo?

Equidem scio Gardinum nec cucurbitulas applicare, nec octo vnciarum vacuatione, quod gloriatur, ob anastomoseon impotentiam per partem affectam, aut ex parte affecta influxam materiam vacuare & impactam,

Sed quia toties iactat id se perficere, ideo concesso quod per prætensas anastomoses vacuet, dico quod à parte, & ex parte, & per partem affectã vacuet. Enimuerò ex Galeno docemur phlegmonem pleuriticum fieri vbi azygotæ apices terminantur, ad quem locum Gardinus peruenire docet intercostalis, mamillaris, & thoracicæ apices eiusdem lateris, & ibidem anastomosi coire & vniri, ita vt ex his in illas, & ex illis in has mutuus sit refluxus, per quos apices gloriatur se fluentem & influxum per azygotam ad locum affectum, id est, per azygotæ apices extremos sanguinem vacuare, attracto nempe sanguine ex locis ibi vacuis & apicibus azygotæ per apices intercostalis, mamillaris, & thoracicæ: Nunquid ergo qui sic vacuat (quod & demonstratum est in fine articuli 5.) ex loco affecto & per locum affectum vacuare censendus est? sic sanè

Cap. 4. lib. de inæqual. temp. & therap. li. 5. cap. 2.

est,

est, *Nam illo*, inquit Galenus, *qui in extremitate venæ* (scilicet mamillaris, thoracicæ) *est, vacuato, continuò succedet alius* (scilicet ex finibus azygotæ illis anastomosi coniunctis) *propter totius corporis repletionem, atque ita* (quod temerarium est) *fluxionem augebis & dolorem*. *Art. med. 94. cap.*

Sed & citra plenitudinē necessitate vacui & continui geminabitur fluxio ratione debilitatis partis affectæ, doloris, & caloris trahētis, sic docentibus Galeno & Hippocrate de pleuritide agentibus, *dolorem*, inquit Hippocrates, *vehementem exhibet pars affecta & percalesit, & per caliditatem attrahit à vicinis venis & partibus*: Remotæ autem partes & oppositæ potentes ad illam mittunt. *Lib. de C. R. per V. S. cap 8. & ther. lib. 13. cap. 5. Gal. lib. nat. facult. 3. cap. 13.*

Confectum igitur est, in corpore pleno & non pleno etiam ex doctrina Galeni, nec à parte ipsa, nec ex parte, nec per partem ipsam in phlegmonis principio esse vacuandum.

Sed contra suprapositam vacui & continui necessitatem obijciunt quod Celsus scribit: *Vena sectio proximum locum primum exhaurit, ex vlterioribus eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur, vbi is suppressus est, quia non trahitur ne venit quidem.* *Lib. 2. cap. 10.*

 Hanc

Hanc obiectionem nullius esse momenti facit, quod ait Galenus; *Si quid venis effluit duorum alterum sequitur, aut vacuum locum extemplò fore, quod non patitur natura, aut quod continuum est affluxurum esse, abeuntisque locum implere*, atque ita vacuatis in loco affecto venis per prætensas anastomoses, necessariò à potente & sana parte sanguis adueniat necesse est.

Nat. facult. lib. 3. cap. 1.

Dicent 2. vacuatis venis vsque ad locũ affectum, non necessariò qui vlterius est sanguis sequetur, quoniam venæ vacuatæ vt molles concident in seipsas ad vacuati proportionem, quæ fuit Asclepiadis ratio, & sic valebit obiectio Celsi, *si non vltra trahetur ne venit quidem*.

Dico 1. Istas vasorum concidentias non fieri nisi inanito toto (vt in hecticis) nec illas impedire consecutionem, quia non sola ratione vacui, sed & continui affluit sanguis, ad quam & concidentia non modo non obesset, sed prodesset si Fernelio credimus.

Dico 2. Celsum sic scripsisse: *Ex vlterioribus autem sequitur quatenus emittitur, vbi is est suppressus, ne venit quidem*, id est quando vena clauditur, non trahitur, nec amplius à longinquioribus partibus sequi-

tur;

tur; Quamdiu autem aperta eſt vena & emittitur, eatenus è diſtantioribus ſemper ſequitur, *ita vt* (quod docet Fernelius) *patente via vniuerſus cum anima excidat:* Vnde rectè Celſus dixit, *cum ſiſtitur non trahitur, non tractus ne venit quidem*, at cum non ſiſtitur clauſa vena, quia trahitur venit & ſequitur quamdiu emittitur ratione vacui & continui. Therap. lib. 1. cap. 3.

Quod ſi ſiſtatur antequam ſequatur is qui in loco affecto eſt, defectu quantitatis ſufficientis, à directè ſecantium ſcopo aberrabit, & quod docuit Rõdeletius prooneritata fluxione nocebit, nec partem onere preſſam leuabit.

Sed his calamitatibus occurrit Fernelius. *Cum pars laborans*, inquit, *magis quam cæteræ exinanita fuerit, ſi ad penuriam vſque detractum ſit, vix denuò alia humorum fluxione conflictabitur*, quia, inquit, *diſtantes indigentia auidæ proprium ſanguinem elabi non ſinent, nec pars affecta, niſi dolor aut calor reſtet vehemens, ab illis quidquam eripiet*. Verum hæ rationes nihil omninò valent. Lib. 2. therap. cap. 5.

Quomodo enim diſtantes in oppoſita corporis parte erunt indigentia auidæ, ſi ab his oppoſita vacuatione nil attrahitur

quod docent omnes directã perpetuo secãtes? omnia enim erant plena; At quomodo sanguinem retinebunt, quem Galenus docet illas continuò à se ad partem morbosam & imbecillem propellere, siue quantitate, siue qualitate sola peccet? Si igitur pars affecta magis quam cæteræ partes & ad penuriam inaniatur, ratione vacui & continui, sequetur is qui in opposita parte æstuat, parte affecta dolore & calore ipsum etiam attrahente. Fatetur sic esse ipse Fernelius *propter eam*, inquit, *quam natura seruare cupit analogiam & in toto corpore æquabilitatem, inanitæ & indigentes trahant ex plenioribus, & pleniores illis subsidio veniant, copiaque grauatæ in vacuas illas onus suum deponant necesse est.*

Therap. lib. 2. cap. 3.

Iudicet hîc lector si temerè scripsi, temerariũ esse in pleuritidis principio corpore pleno ab affecta parte, quod gloriatur se agere Gardinus, vacuare, non retrocessione materiæ, sed proprijssima ex parte & per partem euacuatione.

QVERELA XI.

Oratione 1. pag. 31.

Falſum eſt, inquit Gardinus, *quod molior motus contrarios, dum vno reſpectu, ex remoto termino à quo reuellere me dico, & ex eodem proximiore euacuare doceo.*

RESpondeo quod is qui affirmat (quod paſſim iactitat) ſe vna eademque ſectione à loco affecto reuellere, deriuare, & euacuare exactè loquendo, is, inquam, ſi Galeno credimus, vna eademque ſectione, vno eodemque tempore, motus contrarios molitur & eſſe affirmationem nugationi ſimillimam, ſi reuellere ſumatur in proprio ſignificato, ſicut & deriuare & ab affecta parte euacuare, quæ paſſim confundit Gardinus, quippe ἀντίσπασις diſtantiam contrariam connotat, ita vt vicinior dari poſſit ad deriuandum & ab affecta parte vacuandum, παροχετεύσις viciniam non contrariam, ſed directam ita vt proximior dari non poſſit per venæ ſectionem: Quomodo igitur vno & eodem tẽpore vnus & idem terminus ad quem, poteſt eſſe proximus, & remotus, directus & cõtrarius, termino à quo? implicat ſanè vnum eundemque

ter-

terminum esse remotum & proximum, oppositum & directum, respectu eiusdem termini.

Deinde, reuulsio præcedere debet deriuationem & à parte affecta vacuationem per Canon. 9. quomodo rursus idem secundum idem vno eodemque tempore sequi potest & præcedere? id nouerat Fernelius, *Opportunè*, inquit, *deriuatio administrabitur, quum reuulsione præmissa fluxionis impetus & ardor iam resederit, neque denuò recentis & inopinati suspicio erit.*

Therap. lib. 2. cap. 8.

Neque verò facit ad rem quod media extremis sint contraria & extrema medijs, sicut in moralibus liberalitas & prodigalitas auaritiæ, quia illa sunt æquè contraria respectu duntaxat excessus & defectus æqualiter vitiosi & æquidistantis; At in reuulsione non duntaxat contrarietatem spectamus particularem & qualemcumque, sed vniuersalem respectu totius coniuncta distantia per Canon 2. tum & reuulsio præcipuè partem mittentem spectat per Canonem 6. Deriuatio recipientem, Basilicá itaque eiusdem lateris est contraria directæ pleuræ, si duntaxat oppositionem spectemus qualemcumque, aut particularem, quæ à Galeno damnatur in reuul-

reuulſione locali, per Canon. 2. niſi vniuerſalis vacuatio præceſſerit.

Enimuerò quia ad contrarietatem reuulſiuam adiungenda eſt diſtantia, ita vt proximior detur ad deriuationem, & ab affecta parte vacuationem, ideo illa eiuſdem lateris ſectio non dicitur contraria ſed directa, reſpectu enim pleuræ nulla vena proximior ſecari poteſt quam baſilica directa per Canon. 4. vnde talis ſectio non poteſt dici reuulſio, ſed per Canon. 10. deriuatio, & talis à Gardino allata mixta vacuatio non eſt reuulſio per Canon. 9. Ex quibus concluditur etiam, Clar. D. Remygium non benè ſic concluſiſſe. *Manifeſtum eſt humorem, qui à vena caua per coſtarum venam ad pleuritidis locum defluxit, redeundo à pleuritidis loco per coſtarum venam in venam cauam, trahi in contrariam partem, ſiue in aduersùm, ſiue è contrario quàm ante deflueret*, quæ concluſio nititur ratiocinatione Chriſtophori à Vega, qui etiam ex ſola contrarietate reuulſionem metitur & ſic ratiocinatur: *Locus ſciſſionis directæ contrarius eſt parti inflammatæ, atque ea ratione ad ipſum tractio reuulſio eſt*, & contrarietatem extremorum ad medium nihili faciens, inquit, *contrarius autem*

Defendēte Franciſco de Viennes Paulenſi Aprilis 30. Anno 1632. Duaci.

Art med. lib. 11. ſect. 5. cap. 1.

autem est in locorum differentia, quæ est dextrum & sinistrum, quod sic probat, *cum etenim sanguis ab inflammata parte in venam cauam recurrit* (scilicet refluxu per azygotam non anastomoses prætē(as Gardini, qui hanc contrarietatem allegare non potest) *inflammatione in dextro latere consistente, à dextra parte in sinistram partem agitur* (nempe à phlegmonis loco ad anastomosim originalem azygotæ) *deinde cum mouetur à vena caua & in locum scissionis ducitur* (nempè ex caua ab ostio azygotæ per subclauiam eiusdem lateris & axillarem ad locum scissionis basilicæ eiusdem lateris) *iam à dextra in sinistram & ab interiori ad exteriorem: est igitur Reuulsio.*

Nos verò, neque isto sophismate scissionem è directa basilica reuulsionem esse dicimus, nisi forte sit reuulsio localis, quæ (præter quod damnatur à Galeno) nisi præcedat euacuatio plenitudinis, reuulsionis nomen non meretur, & locum non habet in reuulsione vniuersali, de qua agimus, & ratione pleuritidis disputamus; Non enim, quod & hic supponere debet cum Gardino, natura ratione agit & respectiuè, sed edocta motu prædestinato, adeo vt qui sic in principio secant totam

san-

ſanguinis æſtuantis molem ab oppoſita parte ſana in debilem attrahant. Quod & impoſuiſſe videtur Iouberto, qui eadem ſectione reuulſionem & deriuationem hoc pacto fieri putat, ita vt non eodem tempore, ſed diuerſis temporibus hæc fiant, quaſi prius vacuetur is ſanguis qui influebat prima ſectione, & eo vacuato is qui influxit ſequenti ſectione medici voluntati & phantaſiæ obaudiente ſanguine; Nec melius Sanctorius docet, *quod reuulſio fieri poteſt per proxima*, allegans Galeni factum th. 5. cap. 14. vbi applicatione Thapſiæ, ſuturæ coronali, reuellit ab intima cerebri parte ad pericranium, niſi de locali reuulſione intelligat. *Parad. 11. decad. 1.* *Cõment. ad part. 6. cap. 89. art. med.*

QVERELA XII.

Oratione prima pag. 31. Scribit Gardinus. *Falſum eſt quod non detur morbus in fieri, cuius nihil adhuc factum ſit, falſum eſt quod non detur morbus imminens.*

DIco primò, morbum in fieri cuius adhuc nil eſt factum, quem etiam imminentem vocat, non eſſe morbum, ſed eſſe in ſuis cauſis latentem morboſam diatheſim necdum morbi finitione

tione comprehensam, sicut glandem quercum non dicimus, quod quercus his constet membris, sed duntaxat quercus futuræ conceptum, genituram, seminium.

Dico secundò, morbum in fieri, esse morbum iam incipientem, qui morbi finitione comprehenditur, & extra suas causas actu positus est, quem præsentem agnoscimus, licet non omnimodam perfectionem & absolutionem sit assequutus, Gardinus morbos paulò post futuros videbat vt absentia, si quis præter prophetam absentia videre potest vt futura, & ne sint prouidet: Nos contrà illa vt morbi seminia, & antecedentes causas præsentia consideramus & illa destruimus, & sic prouidemus, ne suam generationem & finitionem habeant.

Antich. pag. 90.

Pleuritidem imminentem pag. 35. orat. 1. eam definit, (si quod non est, esse definiri potest) *cuius causa interna* (scilicet materialis) *nulla est in motu adhuc* (scilicet lationis) *in procliui tamen est vt moueatur.*

Nos contrà, pleuritidem talem in futuro contingenti absolutè ponimus, & imminentem eam dicimus, quæ est paulò post futura; nempe cum humores nati apti eam facere mouentur, indeterminatè

tamen.

tamen. Hanc *pleuritidem in fieri duntaxat* vocat Gardinus & definit, *Pleuritis in fieri est dum eius causa sanguis nimirum est in motu, & actu versus latus fluit, quod ex lancinationibus per artus in via & punctiunculis, tensione atque grauitate præsentiscis.* *Pleuritis illa demùm facta est, quando, & quatenus sanguis in latere iam collectus est cum tensione eiusdem loci & grauitate, & stabili dolore.* Orat. 1. pag. 35. Pag. 35.

Nos contrà cum Galeno, dicimus eam pleuritidem nõ modo genitam, sed omnimodam habere absolutionem, & quamlibet genitam dicimus quamprimum actionem partis affectæ lædit cum sensili dolore etiam qualicumque & quamuis instabili & parum duret. *Contrarium enim sanitati affectum à quo lædi actionem dicimus, morbum tantum appellamus, siue diutius, siue momento duret.* Therap. lib. 2, cap. 3.

At nunquid sunt morbi in fieri duntaxat, & qui in ipso fieri essentiam suam habent, qualis illa iam à Gardino descripta pleuritis in procliui vt adueniat?

Litem dirimat Galenus. *Exactè*, inquit, *loquenti* (quod Doctorem decet cathedrarium) *affectus passio iam est facta, non autem qui adhuc fit;* Atqui definiente eodem, Lib de sympt. diff. cap. 1.

mor-

morbus est affectus præter naturam qui actionem primò per se lædit, ergo quæ adhuc fit passio siue est in fieri, non est morbus: Hinc sic conclusit: *Ergo nec qui morbum, esse motum præter naturam dixit, intellexit quid diceret, neque is qui mutationem esse ab eo quod secundum naturam est, in id quod præter naturam est*: *Quia*, inquit, *quæ corporibus accidunt etsi millies sint alterata, nocere profectò actioni non possunt, quamdiu à quibus fiebat naturam suam tuentur*: vnde sequitur

Therap. lib.2.cap. 3.

Therap. lib.2.cap. 4.

Humores quantumuis commotos in via morbos dici non posse, sed neque in parte contentos, vt podagrica seminia, si actionem non læserint, quod malè docuit Paracelsus lib.2.de pod. Rectè igitur sic concludo,

Affectus in fieri, sunt morbificæ diatheses & parasceue, non morbi: quod latè sic explicat Galenus. *Cum morbus sit affectus præter naturam qui actionem lædit, morbum autem præcedere potest affectus alter, qui etiam præter naturam sit, non tamen secundum suam ipsius finitionem actionem labefactat, sed morbi interuentu talem affectionem non morbum, sed causam quæ morbum præcedat appellamus*: *Quotquot igitur*

De simpt. diff. cap. 11.

tur affectus præcedunt ij morbi non sunt, nec statim quidquid est in corpore præter naturam morbum appellabimus, sed id quod primùm actionem vitiat malum.

Morbum igitur medici rectè imminere opinantur, eum scilicet, qui paulò post futurus est (etsi nondum sit) nisi impediatur, & qui imminet morbus apud medicos sæpè non generatur, quia causæ eius destruuntur, & seminia, sic græcis imminentia sunt μετ' ὀλίγον μέλλον paulò post futura, & hispanis *el futuro diuiden en dos, vno imperfecto que sera presto, ottro perfecto que tardara mucho à venir*, hinc dicimus quod qui morborum antecedentes causas destruxit, plethoram scilicet πυρετῶν παρασκευὴν cacochymiam, non morbum sed morbi futuri seminia destruxit, vel morborum causæ pro morbis accipiendæ, aut morbos substãtias esse cum Paracelso, non qualitates cum Galeno, statuendum est. Nec plures Galenus quam tres sanguinis mittendi scopos edocet ἢ παρόντος, ἢ προσδοκωμένου, ἢ ἀρχομένου præsentis, futuri siue paulò post futuri, & incipientis:

Nam phlegmonis in fieri, siue incipientis & qui in generatione adhuc est, triplex, inquit, *est indicatio, velut in reliquis morbis*

quicunque in gignendo adhuc sunt, necdum absolutionem nacti, quod enim eorum generatum est, ad medicinæ partem quæ morbos curat, subijcitur, quod in generatione adhuc est parti quæ futurum morbum præcauet, atque ideo diximus non simplicem, sed compositam esse totam de ijs ægritudinibus, quæ in generatione adhuc sunt, medentis solicitudinem, ex ea scilicet quæ prouidet, & ea quæ curat. Sicuti etiã si quis phlegmone adhuc laborare non cæperit, sed tamen appareat iam subesse in corpore genus aliquod eorũ quæ phlegmonem excitare possunt, talibus omnibus sola prouisio indicatur.

Ex quibus docemur affectum, qui in generatione adhuc est vel in fieri, esse iam morbi finitionem adeptum, & morbum præsentem esse & incipientem, qui in fieri ideo dicitur, quia omnimodam absolutionem ad quam tendit, nondum est assequutus, ergo cum primùm incipiunt morbi, tunc demum sunt, & sunt partim in fieri, partim in facto esse, & tandem suis stipati symptomatibus perfectionem suam assequuntur, materia itaque coniuncta quæ adest morbo in facto esse, curationem postulat, influxura verò & influens vt morbi materia antecedens, prophilaxim,

axim, ſicut ſi phlegmone adhuc omninò non cœperit, ſed adſint cauſæ quæ illum excitare natæ ſunt.

Ergo ad mentem Galeni pleuritis vel eſt imminens, vel duntaxat in fieri, vel paulò poſt futura (quæ ſunt ſinonyma) & prophiliaticæ ſubijcitur, vel præſens incipit eſſe cum doloris ſenſu & actionis læſione ſe manifeſtans, eaque partim eſt in fieri, partim in facto eſſe, quia vt loquitur Galenus *in gignendo adhuc eſt, nec ſuã abſolutionem aſſequuta,* licet ſuam habeat finitionem & competat illi pleuritidis definitio, atque ideo partim prophiliacticæ, partim curatiuæ ſubijcitur, vel abſolutè eſt in facto eſſe, & curatiuæ omninò ſubijcitur.

Quibus cauſa materialis ſic reſpondet: Humor vel eſt totus in parte influxus, in qua mouetur motu alterationis, & agit quidquid agere aptus eſt cum pleuritis tota eſt in facto eſſe, vel humoris pars influxit & alia adhuc influit, eſtque in motu lationis ad illam, & maior pars adhuc reſtat fluxura, ſicut in pleuritide incipiente quæ ſic partim eſt in fieri, partim in facto eſſe: vel humor duntaxat eſt in potentia ad fluendum & motu æſtuat indeter-

minato in maioribus venis, estque materia antecedens pleuritidis, vel futuræ vel imminentis.

His præterea respondet fons, siue terminus à quo huius materiæ morbificæ, qui est vt plurimùm lacunæ regio superior circa cor & hepar, via ad terminum ad quem scilicet azygota & eius propagines per quas fit materiæ latio, quæ antecedens vocatur, terminus ad quem, id est, lationis pars affecta, in qua mouetur motu alterationis, & fit causa coniuncta, hisque tria connotantur tempora, præsens, præteritum, & futurum: Concludo igitur ex doctrina Galeni, morbum imminentem, aut duntaxat in fieri, & eum qui in procliui est vt adueniat, & cuius causa in motu adhuc est & in via ad terminum, non esse morbos, sed tantũmodo antecedẽtes morborum causas: similis sanè fuerit Gardinus imperitæ multitudini, quæ dum vomentem vident, febrim vomuisse dicunt, vel, quod peius est & Galenico Doctori indecorum, in Paracelsi hæresim labitur, qui morborum curationẽ nil aliud esse asserit, quam seminum *ex iliastro aut cagastro euacuationem & curationem*, quasi morbi essent substantiæ quædam, non quid-

In labyrint, med errant cap. 8. & 11.

quiddam præter naturam corpori accidẽs. Malè igitur Gardinus morbi causas cum morbo ipso confundit, causam cum effectu, & morbum cum eodem Paracelso, corpus & substantiam esse docet, quem vt Galenicum & philosophum nosse oportuit contraria sub eodem genere poni: & cùm sanitas à Galeno in qualitatis genere ponatur, similiter & morbus sub eodem genere collocandus fuit.

Lib. 2. de podag.

Gal. lib. 5. Ther. cap. 3.

QVERELA XIII.

Oratione quodlibetica 1. pag. 39.

INsurgit sciolus & balbutit me euacuationem malè diuidere in euacuationem simplicem, auersionem specificam, reuulsionem, & deriuationem, prætexens quod Galenus faciat auersionem genus reuulsionis & deriuationis. Ad quæ

Dico Galeni definitionem esse bonam, quia auersio æqualiter de vtraque prædicatur ἀποτρέπεσθαι δὲ καὶ ἀποστρέφεσθαι τὸ αἷμα πρὸς ἕτερα μόρια hic igitur definitur auersio qua sanguis conuertitur & auertitur ad alias partes, estque euacuatio electiua, subdit species duas παροχετεύσει τε καὶ ἀντισπά-

σει, vtriuſque autem poſtea ſic connotat ſpecificas differentias, deriuatur quidem ad vicina loca παροχετεύσϑαι μὲν οὖν εἰς τοὺς πλησίον τόπους, reuellitur ad contraria ἀντισπᾶσϑαι δὲ ἐπὶ τοὺς ἀντικειμένους, huic contrarietatem remotam, illi rectitudinem vicinam tribuens ἀντισπᾶν μὲν κελεύων εἰς τἀναντία: παροχετεύειν δὲ εἰς τὰ πλάγια, hic lateris eiuſdem rectitudinem, ibi contrarietatem cõnotans. Nil certè clariùs quam reuulſionem & deriuationem eſſe auerſioni proximè vt proprio generi ſubiectas ſpecies: rectè ſic etiam Sanctorius coment. ad part. 6. cap. 89. art. med. quæſt. 107. *Auerſio eſt genus quod prædicatur de reuulſione & deriuatione*. Sed quæ contrà opponit audiamus.

Therap. lib. 4. cap. 6.

Orat. 2. pag. 4.

Primò Galenus, inquit, *auerſionem loco citato ſemel ſumit genericè, ſemel ſpecificè, ergo poſſum idem facere.*


Secundò ſic diuiſi euacuationem genericam vt ſingularum ſpecierum tales dederim definitiones, vt vnius definitio alteri definito vndequaque quadrare nequeat, vel ſic, vt nullas ex his definitionibus alteri definito applicare poſsis.

Ac primò. Dico Galenum loco citato non ſumere auerſionem ſpecificè, vt patet

ex definitione, vbi auersio genus est cum sibi proximè subiectis speciebus, sicut dum dico animal vel ratione vtitur, vel ratione non vtitur, vbi animal non sumitur specificè, sed genericè.

Ad secundum, dico diuisionem illam Augei stabulum esse, quia euacuationis genericæ proxima species, non est sanguinis euacuatio simpliciter à Gardino hic definita, sed est speciei eius species, scilicet phlebotomiæ, quæ cum socia sibi purgatione pro genere proximo habet euacuationem illam genericam: Phlebotomia autem vt subalterna sub se species proximas comprehendit, euacuationem illam simpliciter, & auersionem: sub hac vt subalterna reuulsio & deriuatio species sunt proximæ: Auersio verò illius specifica, vt patebit ex definitionis explicatione, est reuulsionis quædam differentia.

Ex quibus patet Gardinum omnia cōfudisse summa imis miscuisse, malè diuisisse, specialissimas species subalternis æquasse, quod patet ex sequenti linea prædicamentali.



REſtat examinemus, an quod iactitat, auerſionis ſpecificæ ab ipſo confictæ definitio talis ſit, quæ reuulſioni non conueniat; vt id demonſtret miris modis ſe torquet, pag. 40. oratione 2. *Auerſionem ſpecificam*, inquit, *voco ſanguinis deductionem vlterius factam aliò, quam eò, quò alioquin fluxiſſet, vlterius, inquam non repedando, ſed vlterius fluendo:* hanc nititur probare exemplo, *ita*, inquit, *ſanguis qui ex lacuna flueret in pedem dextrum* (ſcilicet per iliacam dextram) *auertitur in crus ſiniſtrum* (per iliacam ſiniſtram) *ſi per venam ſectam in pede ſiniſtro vacuetur, in quo opere non cogitur vt ſic ex crure dextro ſanguis reuerti ſurſum ad iliacarum bifurcationem, ſed id ſanguinis*

quod

quod ad ipsum crus dextrum fluere potuisset ex lacunari, impeditur ad ipsum crus dextrum fluere, ob sectionem in sinistro pede factam, ad quod crus sinistrum sic sanguis deducitur ille per auersionem ex lacunari, atque per locum sectionis foras.

Vno verbo missis ambagibus & pleonasmo, est sãguinis ex lacuna in dextram tibiam fluentis & fluxuri in sinistram tibiam deductio, secundum primam ipsiusmet definitionẽ, quæ deductio reuulsio est.

At aliud omninò est reuulsio, nam aio, inquit, *quod est sanguinis ex opposita parte, quo fluebat, per eundem alueum in quo erat, & per quem fluebat ad oppositam partem retractio. Addo vt si per venæ sectionem in crure sinistro factam sanguis qui erat & fluebat in pedem dextrum per venas crurales dextras retraheretur ad iliacarum bifurcationem vsque, ea foret propriïssima reuulsio, nempè quia qui ab iliacarum bifurcatione fluebat ad dextrum pedem sanguis is retrahitur* (à pede scilicet aut crure) *per eandem iliacam* (scilicet repedando) *ad istam bifurcationem.*

Euacuatio verò illiusmet sanguinis (scilicet sectione oppositæ pedis reuulsi vsque ad iliacarum bifurcationem) *quæ tunc fit ab hac bifurcatione ad locum sectionis, aliquid resipit*

resipit de auersione & aliquid de reuulsione, non tamen propriè est reuulsio, quia nunquam hactenus fuit in his sinistris venis (scilicet non fluxit à sinistra iliaca ad dextram, quia supponit illum venisse à lacuna) *dicitur tamen eatenus reuulsio, quatenus est continuatio retractionis factæ ex crure sinistro.*

Dico primò, hanc reuulsionis definitionem damnare reuulsiones Galeni in sistendis hæmorragijs aphor. 22. & 9. articuli 2. & ipsius Gardini reuulsioné è directo per prætensas anastomoses, tum & per saphenæ sectionem: nil enim reuulsionibus istis retrocedit repedando.

Dico 2. Auersionis specificæ definitionem competere reuulsioni sanguinis fluxuri, per Canon. 7. & 8. porrò quod Gardini definitio malè supponit, Reuulsio non est sanguinis duntaxat influxi, sed etiam fluentis & fluxuri ad contraria retractio, dat rationem Galenus; *Primùm namque in eo error est, quòd non omnis differentia addita generi ad speciei constitutionem aliquid conducit, sed quæ ex generis propria diuisione nascitur, quippe hæ demum differentiæ sunt quæ species constituunt, reliquæ omnes alienæ.*

Therap. 11. cap. 3.

Sic cephalica dextra fatente Gardino auertit

auertit ſpecificè, & baſilica dextra ab omnibus propaginibus ſubclauiæ oppoſitæ. Sic ab humero, à manu, & cubito dextro reuellit baſilica ſiniſtra, & à crure dextro ſectio ſiniſtri, quas in contrarium retractiones reuulſionis nomine comprehendunt poſt Galenum omnes medici, qui de reuulſione ſcripſerunt canonibus articuli tertij conformiter. Quin ipſe Ariſtoteles, tractionem chyli quæ fit à ſplene ex porta per ſplenicas, reuulſionem propriè nominat, licet is humor nunquam ante in ſplenicis fuerit ὁ σπλὴν ἀντισπᾷ ἐκ τῆς κοιλίας & ſecundum Gardini dogma pro ἀντισπᾷ debuiſſet dicere ἀποτρέπεσθαι vocabulo generis, loco ſpeciei. *Lib. 3. de part. animal. cap. 7.*

Sed & Hippocrates & Galenus retractionem humoris per eandem viam qua fluxerat non ἀντίσπασιν vocat, ſed ἐπίσπασιν apellat, *ex vniuerſo corpore natura per quas ante fluxerant* δι' ὧν ἔμπροσθεν ἡ ἀνάδοσις ἐγίνετο ἐπισπᾶσθαι χυμοὺς: *Et venter ab hepate* ἐπισπᾶσθαι ῥαδίως vnde *Nat. facult. 3. cap. 13.*

Dico 3. erroneam eſſe reuulſionis datæ definitionem, in eo quod aſſerit ſanguinem retrahi debere à termino ad quem fluxit repedando per eandem viam qua fluxerat, reducendo ſcilicet illum ad terminum

num à quo & inde foras, & rectè hic Sanctorius coment. ad partem 6. cap. 89. art. med. quæst. 110. *In reuulsione auersio humorum ad originem non est conditio perpetua.* Nam licet talis possit etiam fieri reuulsio, non tamẽ omnem reuulsionem sic fieri necesse est (qualiter nec omnia bruta quatuor pedes habere debent) talis sanè esset reuulsio (quam ipse reuulsionem maximè negat) quæ secta basilica dextra, ex opposito latere influxum & fluentem adhuc sanguinem retraheret, qui à parte opposita (idest dextra) potente missus esset, vel qui à suprema lacunæ parte delapsus in crura, aut partes tegendas phlegmonem faceret. Nihilominus & vnius cruris ad alterum auersionem, reuulsionem cum Galeno & Fernelio, & præstantissimis quibusque medicis dicimus, licet sanguis vacuetur & retrahatur non repedando, & crepera ista ludibria vt falsa, & nullius mométi cõstanter asserimus destructione schematis illius demonstratiui figuræ 4. quo probare conatur auersionem specificam esse speciem euacuationis à reuulsione diuersam.

Antich. pag. 93.

Fluat, inquit *sanguis ab* a. 1. *vsque ad* b. 2. *& hinc incipiat moueri versus* e. 4. *secetur*

tur autem vena in f. 5. *sanguis veniens ab* a. 1. *vsque ad* b. 2. *fluet à* b. 2. *versus* f. 5. *qui alioquin versus* e. 4. *fluxisset & sic per alium canalem qui est à* b. 2. *vsque ad* f. 5. *vertetur sanguis aliò*, idest, per canalem à *b.* 2. vsque ad *f.* 5. deducetur sanguis *qui alioquin fluxurus fuisset à* b. 2. *vsque ad* e. 4. *& erit illa auersio propria omninò distincta à reuulsione propriè sumpta, quæ sic cõponitur.*

Fluat sanguis ab a. 1. *per* b. 2. *ad* e. 4. *& seca venam in* a. 1. *aut suprà refluet, reuertetur, reueniet, redibit, retrahetur, reuelletur sanguis per viam eandem per quam fluebat ab* e. 4. *per* b. 2. *versus* a. 1. *& illa erit propria reuulsio.* quæ sanè erit reuulsio suprà infrà, & scilicet influxi, in priori fluentis & fluxuri, quæ definitione reuulsionis cõprehendũtur posita art. 4. pag. 28.

Dissolue Galene pueriles istas nugas. *Extremæ stupiditatis est*, inquit, *si adiectis illis quatenus & hactenus, nec quæ ipsi loquuntur intelligunt*, Probatur ergo quod hæc oppositæ cruralis, aut saphenæ sectio sit fluxuri & fluentis sanguinis reuulsio. Primò ex definitione Galeni & reuulsionum differentijs per canon. 6. tum celebriorum medicorum decreto, Fernelij, Fuccij & aliorum quibus crus dex- *Lib. 2. therap. cap. 7.*

trum

trum contrarium eſt ſiniſtro κατ' ἴξιν. Oribaſij Collect. lib. 8. cap. 19. item omnium Arabum & Græcorum articulo 2. citatorum.

Secundò ex conceſſis, quippe aſſerit in ſua definitione ſanguinem retrahi ad iliacarum bifurcationem, (qua confeſſione contradicit communioni crurum inter ſe à ſe negatæ) reuulſione proprijſſima oppoſita ſectione, quod veriſſimum cum ſit, & totus ille ſanguinis motus ab vno crure ad oppoſitum fiat vno tractu continuò ſine interruptione ratione continui & vacui, ſequitur totum illum tractum eſſe reuulſorium donec ſanguis foras prorumpat, interruptio autem debuit eſſe ex ſuppoſito Gardini per *hactenus & quatenus*; Motum hunc tractiuum reuulſoriũ vnum eſſe & continuum probat machina hidraulica, ſiue fiſtula ænea bifurca (quæ ſchema Gardini adæquat) qualem deſcri-
Lib. ſubt. bit Cardanus & notatur figura 4. poſita in fine articuli 5. ſit ergo vinum in *c.* vſque ad *b.* & *a.* & ſpiritu ducto ab *a.* trahatur primò, oportet vinum quod eſt ab *a.* vſque ad *b.* deinde continui ratione ſequetur continuò & is qui eſt in C. vno eodemque motu, vnde qui trahit per *a.* pro-

prijſ-

FIGVRA PRIMA:

HÆc, venarum totius corporis ad lacunam c. a. notatam, communionem ostendit per originales anastomoses.

Nempè omnium venarum ab vtriusque pedis extremitatibus i. i. *per iliacos ramos* h. h. *ad lacunæ fauces inferiores.* a.

Similiter & omnium venarum à manuum extremitatibus per varias coitiones in eandem lacunam ad c. *fauces superiores vnionem.*

Ostendit mamillarium ortum d. d. *& earundem processus & ad vmbilicum fines* n. n. *vbi epigastricis ramis occurrunt, quo loco occultæ anastomoses prætenduntur.*

h. h. *Intercostales quæ tria aut quatuor ad summum costarum superiorum interualla nutriunt, licet & aliquando illa ab azygotæ progeniæ nutriantur.*

b. *Azygota ingens ad lacunam paulò supra cor anastomosis & variæ eius progenies.* p. p. *per costarum inferiorum interualla dispersa, sicut & eorum fines* o. o. *vbi occultæ anastomoses prætenduntur.*

f. f. *Thoracicæ exortus.*

FIGVRA II.

Vt cephalicarum per superiorem subclauiæ diuisionem h. h. *communio ad lacunam & restituto notatur sic & basilicarum* f. f. *per inferiorem ad eandem lacunam per* h. h.

a. *Lacunæ ad cor anastomosis.*

b. *Azygotæ ad lacunam anastomosis.*

c. *Lacunæ truncus ascendens.*

d. d. *Mamillares descendentes.*

e. e. *Intercostales.*

f. f. *Thoracicæ.*

FIGVRA III.

Azygotæ & venarum cum quibus sciatur delineatio.

a. *Azygotæ anastomosis ad lacunam.*

b. *Pleuritidis locum adumbrat.*

m. m. c. c. *Azygotæ propagines.*

d. d. *Basilicæ & thoracicæ ad e. per axillarem* r. *vnionem ostendit & ad lacunæ fauces superiores* n. *coniungit & sic in sinistra parte. In dextra thoracica notatur* k. *& locus vnionis* i. *At* o. *dextræ basilicæ locum scissionis in flexu cubiti* h. *sinistræ ostendit.*

f. f. f. l. l. l. *Thoracicarum progenies & earum fines vbi* * * * *asterici, quo loco anastomoses occultæ prætenduntur* o. o. *mamillariam exortus* p. p. *Intercostalium.* q. q. *subclauiæ.*

FIGVRA IV.


Schema est à Gardino confictum, quo lacunæ partem inferiorem cum iliacis alueis rudiser adumbrat de qua Querela 13. *pag.* 284.


FIGVRA V.

Fistula est hydraulica de qua agitur Querela 13. *pag.* 286.

FIGVRA PRIMA







prijſſime à C. per b. retrahere dicetur & reuellere.

Ipſe Gardinus ſemper varius, oppoſitæ baſilicæ ſectione in pleuritide ab ictu reuellit influxum: licet in hoc caſu directam ſecet Trincauellius, ipſo non inferior medicus, propter rationes fortè à me contra ipſum allatas, & propoſ. 8. oppoſitæ cephalicæ ſectione in contrarium reuellit, licet tales ſectiones reuulſorias auerſiones ſpecificas æquiuoca voce dicat, contra Galeni, Fernelij & aliorum, quos medicinæ columina vocat, doctrinam: Ipſe Heurnius expreſsè eam ſectionem *veram reuulſionem* vocat. Oribaſius Timocrati abſceſſum in manu ſic curabat, *non ſolum in manibus*, inquit, *ſed etiam in cruribus tale quid facere me conſpexiſtis, & fluxionem commuto, & ad alterum crus reuello.* *Analyſ p. 11. propoſ. 9.* *Cap. de pleur.* *Collect. lib. 8. cap. 10.*

Quid ad hæc? *Scio*, inquit Gardinus, *authores aliquos* (reuera nullos) *non ita preciſè loqui, ſed cum cõtra ſciolos ipſis, vt mihi, non ſit actio, non ita exactè loquuti ſunt:* at quid exactius Galeno, Oribaſio, Heurnio, Celſo, Fernelio, & omni ſchola Pariſienſi? doce tu Galene & ſciolum & Doctorem, *Auerſio in contrarium Hippocrati ἀντίσπασις dicitur*, quid eſt ergo auerſio ſpecifica? *Antich. pag. 93.* *Therap. lib. 14. cap. 3.*

cifica? ipſamet reuulſio, nempè cui reuulſionis competit definitio.

Antich. pag. 93. Videndum, num gallica argutia plus valeat, ſcribit ergo: Auertere gallicè ſignificat *deſtourner*, reuellere verò, *faire retourner*: dic Galene: *Sed hæc contemnenda exiliaque ſunt, vt & cætera quæ de vocibus incolumi rerum veritate diſputantur;* Lib. 6. de morb. popul. coment. *Quemadmodum certè ſi quis integrum à toto ſeparet is linguæ græcæ eſt ignarus*, ſic: Lib. 1. th. cap. 5. qui auerſionem ſpecificã ab Hippocratis ἀντισπᾶσι diſtinguit, is linguæ græcæ imperitum ſe prodit, *nunc quantum ad rem ſit adijciam; Qui alterum docere volet, quæ ipſe tenet, huic nominibus propter res vti opus eſt, quorum vſu claritas quaſi meta ſpectanda eſt, nam qui ſic nominare quæque ſtudet, vt qui diſcit clariſsimè intelligat, is optimus præceptor fuerit*, & docendos ad ſuas ſcholas prouocare poterit. Sed ad rem. Lib. 1. th. cap. 1.

Confecimus ſupra ex Hipp. & Galeno ἀντισπᾶν καὶ παροχετεύειν vtrumque ἀποστρέφειν eſſe, ideſt abducere, deducere, vertere, retrahere, atque ita hanc vocem à reuulſione & deriuatione æqualiter participari, *id latinè & græcè, galenicè verum ſit*, inquit Gardinus, *gallicè non ſic eſt*, nam auertere, gallicè ſignificat *deſtourner*, reuel-

reuellere faire retourner, at nec ista quidquam faciunt.

Porrò *destourner*, compositum est ex *de & tourner*; *de* verò gallicum, ἀντὶ græcorum æmulatur, quod est *contra, aduersum*, & ita *destourner* competit omni auersioni, sic dicitur *destourner à droicte, à gauche*, primarium verò significans *tourner*, significat gyrare, sicut *destourner* regyrare, aut degyrare, qui motus propriè cochleæ conuenit, & per translationem significat motus equorum in gyros, aut orbes, gallicè *voltes, vireuoltes qui se font en destournant autant que l'on en a tourné*. Hispana paraphrasis ad verbum *reuello* magis accedit, nam dicunt *buello*, &, *rebuello*, quasi reuello: vbi *destourner* est reuellere, cœterum *destourner* gallis propriè significat deriuare, sic dicunt *faire couler l'eau par l'autre ruißeau, ou conduit saigniant la riuiere*, Italus propriè *deriuare la acque*, Hispanus similiter, *deriuar arroje de fuẽte*: conformiter græco ὑφηρημένος τὸ ὕδωρ καὶ παροχετεύσας: Oribasius, *Riuare*, inquit, ὀχετεύειν *est per riuos ducere* παροχετεύειν à riuis ad latera, Collect. lib. 8. cap. 18.

Ex quibus patere arbitror verbum *destourner* gallicè æquiualere latino *auertere*,

& græco ἀποτρέπειν quod est Galeno ἐπὶ-
ρον τρέπεσθαι, siue in directum, siue in con-
trarium.

QVERELA XIV.

Pag. 77. & 70. orat 4. ait Gardinus.
Negas vllas ad pleuram accedere arterias, sunt, inquam, ad pleuram dispersæ penè omnibus incubis venis tot coniuges arteriæ.

Assertum vt probet. Primò negat Vesalij tabulas esse bonas & veras, & testibus oculis erroris insimulat.

Secundò, adfert authores qui ipsummet conuincunt: primò Riolanum, qui ait: *Vena & arteria intra costarum spatia apparent.* Sequitur

Antrop. lib. 3. cap. 5.

Galenus: *In ipsis intercostalibus musculis, proximè ad ipsius cuiusque costæ os arteriam comperies.*

Lib. 8. adm. anat.

Laurentius; *Venæ quas habet pleura proueniunt ab azygota, pari arteriarum numero eas comitante.*

Lib. 9. anat. cap. 5.

Spygelius *inter vtramque pleuram duodecim arterias distribuit.*

Anat. lib. 3. cap. 9.

Realdus Columbus, *Inter pleura membranam*

Anat. lib. 3. cap. 3.

branam duplicem venæ arteriæque, ac nervi præterlabuntur, qui inter omnia costarum interualla ducuntur. His citationibus asseri putat, quod negaui, arterias pleuram perreptare.

Respondeo primò, Anatomicas tabulas Vesalj quas ipsemet propria manu pinxit, esse veras, & bonas, nec illas se viuente retractauit, teste epistola ad Oporinum Anno 1555. & dico contrà, Gallos omnes ac Germanos, & Anglos Vesalij tabulas imitatos fuisse, & vt suas facerent nullius momenti figmenta addidisse, mendosas reddidisse, quas fortè vidit Gardinus, non genuinas, sicut conqueritur eadem epistola Vesalius.

Secundò. Ad authoritates dico Riolanum contrà sentire, nec dicere arterias pleuram perreptare, *sed intercostarum spatia apparere*, de Galeno postea.

Laurentius loquitur de pleura simul cum mesopleurijs, qualiter de intercostali agit. lib. 4. cap. 10. quam docet *tria, aut quatuor costarum interualla, & musculos vicinos alere*, & Laurentius à Riolano etiam parui æstimatur, eum corpora non dissecuisse, credulum fuisse, notat ita vt P. Laurenbergius in sua Apollinis laurea, iactet *Antropo. lib. 1. cap. 4.*

se bis mille errores in ipsius Laurentij anatomia ostensurum.

Spygelius non dicit in pleuram, sed inter vtramque pleuram, sicut Columbus, id est inter pleurã & periostium, vel musculorum membranam, quos anatomistas parui facit Riolanus, furti eos accusans: Posteriorem Carcanus Fallopij discipulus sic laudat, *Quidquid habet boni & veri Columbus à Vesalio furatus est!* & pleuræ duplicitatem falsitatis accusat autopsia, nisi duplicitas sensu Columbi accipiatur, ita vt membrana tenuissima quæ musculos intercostales contegit, pro altera pleura accipiatur, sicut & periostium quippè

Antrop. lib. 1. cap. 4.
Lib. de mot. musc. oculi.
Riol. antrop. lib. 3. cap. 5.

Galenus ipse *per proximè ad cuiusque costæ os*, intelligit periostium, nam & ibi nerui percurrũt, quibus itidem caret pleura, atque ideo, quod scribit Columbus, *in mesopleurijs sæpè fit pleuritis, non in pleura*, qua sæpissimè afficeretur, si per eam arteriæ excurrerent, quæ à minima distentione & parua mole grauissimè dolere potest. Hinc Galenus; *Arteriæ*, inquit, *maximè in musculis disperguntur, ideo neruosis partibus & membranis vix natura constituit arterias. Quinetiam membranas non pulsare, vt quibus partibus insunt arteriæ consentaneum est.*

Heurnius cap. de pleurit.
Lib. 3. cap. 13. administ. anat.
De loc. aff. lib. 2. cap. 4.

Huic

Huic doctrinæ conformiter Heurnius. *Non est*, inquit, *in exquisita pleuritide dolor lateris pulsans, quia in hac membrana non sunt arteriæ, sed subter illam excurrunt*: Idem est Altomari iudicium & Mathei Curtij, *In pleura non sunt arteriæ*. Auicenna f. x. tract. 4. cap. 2. *In ea*, inquit, *quæ pura est pleuritis, non est pulsatio, quoniam membrum priuatum est multitudine arteriarum.* Ioubertus *musculorum*, inquit, *intercostalium phlegmone vehementiorem causat dolorem, vt voluit Rhasis, præcipuè quod pulsatorio maximè sit obnoxia, arteriarũ nomine, quibus membrana costas succingens destituitur.* Huic opinioni fauet etiam Vesalius, litem dirimat Galenus, is lib. 2. de loc. aff. cap. 3. *Cap. de pleur.* *Pract. cap 5.* *In Mund. anat. cap. 31.* *Lib. de thor. aff. cap. 8.* *Lib. 3. Fab. hũ. cap. 12.*

Arteriæ, inquit, *sunt per intercostalia vocata spatia & per crassas, laxasque laterum partes extenduntur, ac in profundo magis delitescunt, vt succingentem costas pleuram haudquaquam attingant &* lib. de venar. dissect. cap. 9. *Quæ thoracem alit vena hanc videre est per spinam sine arteria descendere.* Iudicet hic lector an *supina anatomiæ ignorantia* (quod ait Gardinus) scripserim primariam pleuritidem non fieri per arterias, quod pleurã nullæ percurrerẽt arteriæ.

QVERELA XV.

IMpactum in phlegmone sanguinem & in eo collectum synatrismum venæ sectione retrocedere in venas negat Obertus, *& vitij arguit deriuationis definitionem, contrà* contendit Gardinus, *collectum in phlegmone, aut impactum venæ sectione vacuari posse & retrocedere.* Antich. pag. 93. & propos. 2. *& passim dum putrem ex parte humorē euacuat, reuellit, retrahit, deriuat.*

Gardini opinionem tutari videtur Clarissimus D. Remygius & Collegæ suo fauere, thesi defensa à M. Ioanne Doulcet Insulensi Anno 1633. Septembris 3. docens. *In validarum phlegmonum initio impactus humor sanguinis fluxū facilè sequetur.*

At ego cum Galeno & celebrioribus medicis dico fluxilem duntaxat sanguinem posse vacuari. Sic Ioubertus, Fernelius, Sennertus & alij *Deriuationem sanguinis fluxilis euacuationem* non *impacti* definiunt, & ipse Remygius: *Adæquatum indicans venæ sectionis, statuit vitium vehemens sanguinis fluxilis.*

Thesi excusa. Anno 1619. Maij 12. defendāta M. Francisco Paicele Ateriēsi.

Doctrinæ nostræ fundamentum datur solidissimum artis med. cap. 95. Postquam enim incipientis phlegmonis in oculo comitan-

mitante plethora curam docuit Gal. esse humoris ex parte euacuationem, atque ob plethoram totius, prius quod superfluum erat ad contraria loca reuellendum suasit, postea quod reliquum erat extremis venis contentum & in spatijs inanibus effusum, vacuandum esse, tum discussiuis, tum digerentibus, *etsi*, inquit, *hac via superfluum omne retrocesserit benè se res habet: At si fuerit aliquid in parte retentum, coniecturandum erit id lentum ac crassum existere* (fluxili nempè humore, vel repercusso, vel digesto) *atque ea ratione coactum, atque adstrictum, vt cum difficultate solui possit, in quo casu ad id veniendum est, vt per patientem locum euacuemus*, quod scarificationibus, & digerentibus fieri docet, nam & ante Hippocrates docuerat ὑπείκουσα ἀντισπᾷν ἀντισπίπτουσα ὑπεῖξαι, fluxilem scilicet reuellendo euacuare, renitenti & impacto cedere oportet, quia inquit, Galenus, *nil ab eo remittitur sed fortiter impactus renitet*, vnde Ioubertus & Guastauinius impacto sanguini scarificationem præscribunt: *Crassiorem enim effectum sanguinem & impactum*, inquit Sennertus, *in venas refluere posse non assero, siue in extremis capillaribus sit, siue extra-*

Gal. art. Med. cap. 94.

Epid. 6. sect. 8.

De C. R. per V. Sect. cap. 12.

Cap. 20. de Repul.

extrauenatus.

Enimuerò, si in capillaribus extremitatibus venarum sanguis collectus lentus ac crassior effectus, atque ideo à natura alienus retrocedere non possit, extrauenatus certè vt exul & abdicatus, & per vacua, atque inania loca peregrinus, nullo modo in venas remeare potis est, & rectè hic Sanctorius: *Valdè decipitur*, inquit, *Argenterius qui putat sanguinem extrauenatum posse iterum in venas resumi, quia sanguis extrauenatus statim naturam propriam amittit, quoniam vel in pus vertitur, aut putrescit, præterea sanguine extrauenato statim venarum ostiola considunt, vt nil sanguinis ingredi possit, & nunquam aperiuntur, nisi dum sanguis egreditur, attractus, aut expulsus*. Quod & nos etiam ex Galeni doctrina probauimus articulo 6. vbi pus à venarum apicibus attrahi posse negauimus, quod amicum sanguinem à medio-matrice lacuna trahere, succos verò excommunicatos vt inimicos repellere, dicerunt.

Coment. 3. in art. med. part. 3. cap. 94.

Sed contra hanc doctrinam sequentia obijci possunt, nempè quod sanguis à minoribus venis in maiores refluere potest, ergo & qui ex capillaribus in vacua spa-

tia

tia propinqua recens effuſus eſt, repellentibus per eaſdē capillares refluere poterit, & eum ſāguinis motum ſequi impoſſibile non videbitur ei, qui in corpore viuente miram illam ξύῤῥοιαν, & humorum ex vna parte in aliam confluxum & μετάστασιν in angina, pleuritide, & alijs inflammationibus perpenderit: Quod ſi dicamus illos dūtaxat humores, qui in venis minoribus ſunt, refluere in maiores, reliquos verò qui iam venis exciderunt, inſenſibiliter diſcuti debere: Ad id certè ſpatium temporis ſufficiens requireretur, vt in ſugillatis & ſanguine ſub cutem effuſo ſæpè ſatis longum tempus ad ἐκχυμώσεως diſcuſſionē requiri videmus.

At verò cum videamus ſæpè quaſi in momento non ſolum variolas & morbillos & alia exanthemata & tubercula minora, ſed & bubones euaneſcere, illa extrauenatorum humorum retroceſſionem perſuadere poſſunt.

Ad quæ: Concedimus ſanguinem à minoribus venis ad maiores repellentibus retrocedere poſſe, quamdiu is fluxilis fuerit & ſanguifluarum venarum ſocietate fruetur: Enimuerò in phlegmonis capillaribus impactum, retrocedere non

posse iam cum Galeno diximus, eumque vel diaphoreticis insensibiliter, vel scarificationibus sensibiliter euacuandũ: multo verò minus is retrocesserit, qui in propinqua spatia quantumuis recens effluxerit, nam præter ante allatas rationes, si verum est quod contra Erasistratum docet Galenus, arteriæ, quæ ad inflammatam partem pertingunt & ad intercostalia loca perueniunt, qua pollent diastole, extrauenatum pus, icores, aut sanguinem trahere non possunt, quod articulo 6. probatum est, multo minus venæ quæ motu illo carent.

Sanguis igitur quamprimum à venis excommunicatus est, ilicò acescit spiritu regente priuatus, hinc coaguletur, & impactus fiat necesse est, & continuò humorum à natura non rectorum proprio dissidio ad putredinem tendentium, fit humor alienus, quem natura abhorrens vt peregrinum, totis viribus à se depellit, nec sanguis amplius dici potest, sed saniei quid simile aut puri, qui in abscessibus partim coagulatus partim semiputris cernitur.

Neque propterea si is in venas refluxerit cõgeneum, aut vitalem quem amisit spiritum denuò receperit, quod nouam sanguinis transubstãtiationem per consueta sanguifi-

guificationis inſtrumenta pati neceſſe haberet, qualiter fortè in macrocoſmo aquæ peregrinæ non ante ad montes terræ vbera in fontes perennes refluunt, & vitales fiunt, antequam emenſo ſuo fato, depoſita in hoc viſibili mari peregrina immunditia, ad interni maris beatum perueniant elementum, vbi ſpiritibus vitalibus denuò impraegnatæ reſuſcitantur, ad nouam peregrinationem in bonum vniuerſi ſufficienter inſtructæ.

Exulibus igitur ſuccis & excommunicatis emunctoria deſtinauit natura, tum & loca patentia, laxa & inania, ſimulque ignobilia, quemadmodum ventriculo inteſtina, hepati ciſtim & inguina, lacunæ renes & veſicam, portæ lien, cordi axillas, cerebro ventriculos & partes circa collum, ſolidis partibus ſpatia inania & poros.

Quod ad ξύῤῥοιαν illam Hippocratis cui totum corpus conſpirat & confluit: Dicimus ſuccos qui de loco in locum permeant, communicantes eſſe vt qui venis ſanguifluis continentur nondum excommunicati: at abdicati, quoniam per ſpiritus motorios & vitales non reguntur quorum eſt humores quoquouerſum ciere, decli-

decliuiora loca proprio pondere ſemper petunt & ignobiliora, à potentioribus & nobilioribus partibus depulſi, & ſi quando, vt in arthriticis ſæpè contingit, humor pedem inuadat, mox manum, id nouæ fluxioni referendum eſt; Dato ergo,

Gal. nat. fac. 3. cap. 13.

Quod pleuritis ab angina fiat & viciſſim hæc ab illa, reuera iſta non fient ſanguinis in partem affectam abdicati & in parte affecta impacti retroceſſione & conuerſione, ſed noua fluxione ex eodem fonte proruente, vel ſi à parte affecta fiat conuerſio, vt fieri poteſt, qui conuertetur ſanguis is non erit impactus, ſed is qui venis communibus contentus fluxilis, partes affecto loco vicinas vrgebat.

Hipp. de purg. humor.

Dico 2. ξύῤῥοιαν illam nil concludere aliud in variolis quam ſpirituum perſpirationem, ἀποῤῥεόντων ἀποῤῥοίαν πνευματώδη vel vt Alexandro Aph. lib. 2. prob. 42. λοιμικὴν καὶ σηπτικὴν ἀπόῤῥοιαν, nempè variolarum exanthemata à ſpiritibus eſſe & eleuari citra materiæ ſanguineæ copiam; facilè probatur exemplo quod in bullis cernere eſt à fermento aut ſapone, quæ ſubita euaporatione ſubſidunt, non quod in materiam ſiue corpus à quo prodeunt ſpiritus remeent, ſed quod diſſoluti pereant,

reant, ſicut in morbillis, quæ ſpirituum eſt natura & flatuum peſtilentium, *Galeno lib. 1. de diff. Feb.* μίασμα λιμῶδες καὶ σηπεδονῶδες, qui tinguntur coloribus ſubſtantiarum à quibus prodeunt, & potentibus donantur atque excellentibus virtutibus, ſic rubræ à ſanguine, flauæ à bile, nigræ à melancholia eſſe dicuntur, τὸ μὲν χρῶμα τῶν χυμῶν ὥσπερ ἀνθέων. *Hipp. de pur. hum.*

Inſuper & citra vllius materiæ corporeæ affluxum ſolo venenato animalium ſpiritu, caro læſa in tumorem attollitur citiſſimè, & adhibito alexicaco etiam celerrimè ſubſidit, ſpiritu virulento diſcuſſo, nulla relicta nota: Sic etiam ex contuſione ortus in fronte tumor, diſcuſſiuo repentè ſoluitur nullo relicto veſtigio.

Cum igitur variolæ iam apparentes, quas Auicenna & Arabes alices vocant, occurſu aëris frigidioris euaneſcunt, illis ſolūmodo incipiētibus, id accidere poſſe certum eſt, dum corporea materia nondum venis exceſſit, ſed ſpiritus tantum, qui cutem tingere & in tumorem eleuare potis eſt: Neque enim quiſquam vidit variolas iam formatas cum collectione & humore impacto & extrauaſato retroceſſiſſe ita vt nulla reſtarent veſtigia. Enim-

uerò

Nat. fac. 3. cap. 13. uerò etsi Galenus doceat non spiritus modò & excrementum, sed etiam nutrimentum ab vltima corporis parte eo, vnde venerat, rursum posse deferri, id de contentis in venis succis, & potentia alimentis, quæ adhuc à natura reguntur & cum toto cōmunicant, intelligendum est.

At dices; Moriuntur ferè quibus id contingit, ergo signum est materiam morbificam retrocessisse.

Dico nequaquam, sed arguit non sufficienter propulsatam intus latentem, ægrū iugulasse, quod accidit in omni ferè crisi imperfecta in morbis deleterijs & pestiferis, è quorum numero sunt variolæ, quippè veneni pestilentis potentia in spiritus maximè viget, qui si foras omninò non protruditur, quod eius intra remanet, reliquos spiritus & humores deleteria labe ita inficit, vt cordis facultate subitò deuicta, ad extremas partes & destinata emunctoria venenum amplius depellere nō possit, & sic incipientes tumores subsidunt, & spiritus venenati simul cum bonis à corde in auxilium reuocati in omnes corporis partes, easque nobiliores & impotentes, quas perpetuò aggrediuntur, debacchantur; spiritus sanè retrocedere posse facile

facilè concedimus, quod his non ſicut corpulentiori ſubſtantiæ, patentes viæ ad refluxum requirantur, & ab arterijs docente Galeno facilè aſſumantur.

Non ergo variolæ repentè ſubſidentes impacti & abdicati humoris in venas, à quibus exciderunt, retrogreſſionē concludunt. Fatemur tamen exilibus venis contentum ſanguinem, & partem affectam circumfluitantem venæ ſectione retrahi & euacuari poſſe, quod puto voluiſſe D. Remygium in phlegmonis validi initio fieri poſſe: & credo illum per *impactum* vt Galeni verbis vtar *conculcatum* intelligere, qui fluxilis adhuc eſt, nam & docet, quod *venæ ſectio tantum vacuat humorem antecedentem qui in venis eſt, non coniunctum*, impactum aut abdicatum, quem vel ſcarificationibus vel diſpergētibus & diaphoreticis vacuandum docet Galenus.

Theſi excuſa anno 1635. Mart. 24. defend. Martino de Lãnoy Iprenſi.

Querelas omnes Doctiſſimi L. Dureti iudicio concludam, *Reuulſio eſt humoris, quo non expedit, ad loca & per loca lege naturæ incommoda fluentis in contrarium auerſio. Reuellimus autem vel ex inferioribus ad ſuperiora, & contrà, vel à dextris ad ſiniſtras, & contrà.*

Comentã in lib. Hipp. de hum. purgãd. n. 11.

QVÆ-

QVÆSTIO MEDICA.

An in variolarum curatione venæ sectio conueniat.

VAriolarum curatio vt & aliorum morborum, triplici medio perficitur, Chyrurgia, Pharmacia, Diæta, postremis vires ægri conseruare, & putridæ, venenatæque materiei resistere, & concoctionem eius promouere, atque eandem concoctam alexiterijs ad corporis ambitum propellere intendimus: Vnde pluribus medicis consultum videtur, spretis chyrurgicis & purgantibus remedijs, in solis alexiterijs ægri salutem consistere. Attamen quia variolarum materia, vel qualitate sola naturam stimulat, vel simul copia grauat, & quod sæpè accidit comitantur obstructiones & primæ regionis colluuies, quæ alexiteriorum ministeria impediant, manifestum fit, medicum & obstructiones soluere, & colluuiem illam laxante pharmaco, aut leniente eluere, oportere, & cum magnus sit morbus, acutus & præceps, magno remedio indigere, qualis venæ sectio ab Hippo-

crate & Galeno ſtatuitur.

At verò error popularis ita inualuit, vt ſi quis medicus in variolis venam ſecuerit, ægrum iugulaſſe credatur, & temerarij ne dicam nefarij nomine proclametur, qua conſideratione nonnulli medici, dum nimis honori ſuo conſulunt, ſibi cōmiſſos ægros in ſanguine (cum clinicorum & mulierculaꝛum aſſenſu, quarum gratiam & linguas aucupantur ad famam) ſuffocari malunt, quam debito remedij genere, dubiam curam tentare, *Extremis morbis extrema remedia opponentes*: *Ne quem*, quod ait Celſus, *non ſeruauerint perdidiſſe credantur*. Hipp. aph. 6. lib. 1.

Siquidem horum alij inueteratâ hæreſi contumaces errori inſiſtunt, ne non ante ſapuiſſe videantur. Alij ignorantiâ ſupinâ ſegnes & otioſi, ſatis habent ſi quod à præceptoribus didicerunt, continuò id verum eſſe ſibi perſuadeant, ita vt ne vel latum vnguem ab ea doctrina recedant, atque eo ſopore graues, aliter practicantium rationes faſtuosè eludunt, nec doctiorum libris inuigilantes ab errore ſe reuocant, ſed vt occæcati aſini, molæ rotam vertentes eoſdem paſſus ſemper calcant, & in æternum errant.

Ego verò etsi famæ meæ non minus quam cæteri consulere debeam & velim,

Persius in Sat. 1.

neque enim mihi cornea fibra est
Laudari vt metuam,

tamen spretis clinicorum & mulierculaꝝ linguis, in variolis sæpè occasione datâ fœliciter venam secui, nonnunquam & lenientibus pharmacis ventrem subduxi, propter solidissimas rationes, quas qui venæ sectionem infamant, per socordiam non satis examinasse, vel non intellexisse, vel, si vtrumque præstiterint, in agendo parum solertes fuisse, & plus suis loculis, quam ægri saluti consuluisse necesse est.

Perniciosum itaque errorem in hac ciuitate, & Morino tractu popularem iam factum, qui non solum è vulgo plurimos, sed etiam optimates & nobiles suffocauit, dum compendiosè refutare aggredior, multa consultò præterire habeo, quæ medicum agentem nosse cõfido, hæc quippe ὡς τέκτονι τέκτων, neque enim de variolarum causis agam, sitne nouus morbus an non, nec de eius differentijs, & materia ex quâ, vt quid à morbillis differat, neque de pharmacis ad earum curam pertinẽtibus, nisi quantum opus fuerit ad demonstrandum in illarum curatione venæ sectio-

fectionem tutò administrari: Atque vt ab earum definitione occipiam,

Variolæ sunt efflorescentiæ aut pustulæ rotundæ, pruriginosæ, varij coloris, febre synochâ putri comitatæ, vi expultricis naturæ ad cutaneam regionem propulsæ: Cũ verò adeo notæ sint vel cuilibet è plebe, illud medicis in hac curatione maximè dubium videtur, an venæ sectio, & purgatio tutò adhibeatur; Quod vt breuiter demonstremus quatuor hîc præmittimus hypotheses. Itaque

Supponendum primò, materiam ex qua variolæ fiunt esse sãguinis massam (prout quatuor humores comprehẽdit) cum propriâ & particulari ebullitione atque putredine in maioribus venis, siue sanguinis menstrui malitia, siue cœli contagium, siue esculentorum potulentorumque vitium hanc suscitarit, siue horum aliqua, aut omnia simul.

Supponendum 2. In variolis, sicut in alijs morbis humoralibus, dari materiam proximam & coniunctam, sicut antecedentem & remotam, illam extremas venas & capillares occupare, hanc in lacuna & venis communibus circa principes partes ebullire.

Auicen-na lib. 4. fē. 1. trac. 4. cap. 6. Supponendum 3. Cùm variolæ per modum κρίσεως fiant, illas febrim synocham putrem antecedere & comitari, quod enim secernitur euictæ materiæ putridæ pars est, à centro vi expultrice ad cutem propulsæ.

Supponendum 4. quod variolarum materia ex qua, tanta sæpè copia simul putrescit, quod licet vniuersi corporis cutis ijs defœdetur, & vniuersali phlegmone afficiatur, tamen maior pars in maioribus venis remanet & principes partes etiam afficit, quod tantæ moli propulsandæ impar sit natura; quod & docuit Auicenna, *Lib. 4. fen. 1. trac. 4. cap. 6.* in quibusdam enim, quorum corpora à morte dissecuimus, obseruatum est asperam arteriam, pulmonem, iecur, lienem, intestina, vterum ea labe scatere, vnde & in vtero fœtum ante matrem variolis extingui notauimus.

Lib. 4. fen. 1. trac. 4. cap. 6. Vnum est quod contra has hypotheses obijci potest, variolas etiam citra febrem fieri, quoniam Auicenna affirmat variolas esse ante febrim, aut illi succedere, & melius esse vt febrim antecedant, quam subsequantur: *Summa 2. part. 1. sect. 2. cap. 6.* quod etiam docet Mesues, quandoque cum synocha putri, quandoque ebullitionem sine putredine esse, *in quâ grossum & subtile quod est in sanguine, sine*

siue à menstruis sit, siue à malis nutrientibus prouocatum, sequestratur à puro eius, quemadmodum videre est in vinis nouis ebullientibus ex propria caliditate & maximè exteriori reseruata in eis, in quibus fex & spuma sequestratur ab eis vt superflua, illis remanentibus depuratis, eodem prorsus exemplo Auicennæ vsus. *Lib. 4. f. tract. 4. cap. 6.*

Nos tamen cum Auenzoare & Rhasi variolas perpetuò febrem antecedere, & comitari dicimus, modò mitiorem, modò ferociorem ad materiæ ebullientis proportionem & qualitatem, quippe cum variolæ ex hipothesi 3. per modum κρίσεως fiant, continuò intelligimus ebullitionem in venis maioribus, quæ citra febrem fieri nequit, & putridæ materiæ partem iam à naturâ victrice secerni, neque enim non corruptum natura separat, neque hæc fiunt à materiæ putrescentis & ebullientis calore proprio vt in musto, nam docente Aristotele 4. meteor, *& tuberculorũ & pituitæ & talium maturatio à naturali calido fit*, sicut & secretio: & licet pueri, & iuniores, qui vt plurimum validius exercentur & sunt animosiores, variolis capiantur, nec febricitare videantur, tamen febrim ad materiæ putrescentis proportionem ad- *Lib. 1. tract. 7. cap. 5. Continẽt. l. 30.*

 fuisse

fuisse necesse est, aliquando ita mitem, vt de eâ non conquerantur, donec variolis erumpentibus, superueniente symptomaticâ febre ex cutis inflammatione, tensione & suppuratione, ægrotare se dicunt.

Vnde conficitur, non perpetuò verum esse quod scribit Auicenna: Quippe contra signum bonæ iudicationis est, si præcedente eas febre natura earum materiam secernat, & febris mitescat, hinc docet Hippocrates, *A bubone febres omnes malæ exceptâ ephemerâ*, quod & in omnibus pestilentibus tumoribus verum est, è quorum numero sunt variolæ. Si igitur post variolarum apparitionem febris subsequatur, & symptomatibus grauioribus excellat, id est augeatur, impotentis naturæ & imperfectæ crisis signum erit, erunt enim προκρινόμενα ὅμως, & verò τά κρίσιμα μὴ κρίνουσα, si cum funestis symptomatibus partium, vndè manant & quo feruntur scilicet interiorum & nobiliorum, coniuncta fuerint τὰ μὲν θανατώδεα, si verò citra lethalia illa symptomata humoris morbifici pars intrò remaneat, erunt δύσκριτα, eruntque sic lethales variolæ, aut difficilis iudicij, cõtrà verò κρίσιμα κεκριμένα ἀρτίως si cum illarum eruptione febris mitescat. Constans

Mesues summa 2. part. 1. sect. 2. cap. 6.

Aph. 55. sect. 4.

Hipp. ep. 2. sect. 1. Duret. in Comment.

Hipp. aph 20. lib. 1.

ftans igitur fit hypothefis variolas femper febrim fynocham comitari.

His fic difpofitis. Dico venæ fectionem variolis incipientibus tutiffimè & neceffariò aliquando adminiftrari, feruatis à perito & folerte medico feruandis. Ita fentiunt omnes Arabes, qui etfi quartum inclufiuè diem præfixerint, tamen cum eiufdem fpeciei morbi celeriores fint motus & vrgentiora fymptomata, fecurius Galeni videtur confilium, *neque enim inter morbi initia aliquod remediorum eiufmodi iniungere oportet, defumpto à numero dierum fcopo, quarto fcilicet, fed quod cenfuit Hippocrates ocyus eft exequendum, nam vel ftatim ab initio priufquam in partem aliquam cõfirmentur humores* fcilicet *nobilem, medicandũ.* Arabes fequũtur Gordonius in lil. 12. cap. de variol. Tornamira tract. de feb. cap. 27. Guarnerius tract. de pefte cap. 6. Albert. Anglicus lib. 7. th. cap. de variol.

Comm. in 4. de rat. vict. in acut.

Aph. 29. sect. 2.

Primò, ratione plethoræ cacochymicæ, huius morbi materia, tum ratione febris, fic nos edocente cum omnibus Arabibus Galeno. *Saluberrimum eft in febribus venam incidere, non continentibus modò, verum etiã alijs omnibus quas putrefcens humor cõcitat, vbi præfertim vires & ætas non impediunt.*

Auicẽnas lib. 4. f. 1. tract. 4. cap. 6. Mefues fumma 2. part. 1. sect. 2. cap. 6.

...erap. c. 15. *Leuata namque, quæ corpus nostrũ regit, naturâ exoneratâque eo quo velut onere premitur, facilè quod reliquum est euincet; atque officij sui non oblita concoquet quodcumque est habile, & excernet quodcumque excerni natum est; vt igitur hæc citius eueniant* (ecce quomodo crisim acceleret venæ sectio, non remoretur) *melius est circa principia euacuare, quo minorem factam materiam facilius natura possit concoquere.*

Venæ sectio igitur ex Galeni mente in variolarum principio rectè administrabitur, dum lassitudinem spontaneam inducunt & grauant, materia in lacunâ & maioribus venis adhuc stagnante, quæ eo loco agitari iudicatur dolore dorsi è longitudinæ spinæ, & iacendi in dorsum procliuitate,

...uicēnas ..4. fen. ...ract. 4. ... 6.

Quippe nisi vacuetur eius pars, quæ oneri subleuando satis sit, natura oppressa multitudine impar erit, nec crisim adæquatam assequetur: remanente igitur parte materiæ, cordi angustia cum lethali sincope accidet & suffocatio, vel si potens fuerit à se ad ignobiliores partes propellere, quoniã & multitudine & ferocia valet, non solùm cutaneas partes, vnde salus spectanda videbitur, occupabit, sed etiam in-

...aesues ...nma 2. part. 1. sect. 2 cap. 6.

ternas nobiliores adorietur, & phlegmone lethali expugnabit, ex hipothesi 4.

In cerebrum namque irruens, fulgoribus, lachrymis, tinnitibus, capitis dolore se prodet, hinc tremores, timores, stuporem, deliria, motus conuulsorios excitabit. Si œsophagum occuparit; difficilem deglutionem & anginam lethalem inferet; si pulmonem tussim, dispnœam, pectoris angustiam, peripneumoniam: Vidimus nuper cui in diaphragma per phrenoticas elisa materia, intolerabilē cum summis doloribus respirandi difficultatē cumque delirio mortē attulit; At verò si hepar, aut lienem phlegmone infestarit; naturalem œconomiam peruertet, lepram aut lepræ proximam intemperiem relictura, ad renes propulsa cruentas vrinas ciet vt in peste lethali, intestina verò deleteria, dissenteriâ afficiet, τὰ δὲ θανατώδεα omnia, si autem hæc euaserint δύσκριτα hæc consequentur aurium sonitus, surditates, lippitudines, caligines, albugines, cæcitates, fœda in naribus vlcera, tusses molestæ, fœdæ excreationes, quin & membrorum stupores, resolutiones. *Albert. Angl. lib. 7. cap. de variol.*

Tot igitur tantisque malis, cur exonerata parte materiæ venæ sectione non occurra-

Auicēnas lib. 4. f. 1. tract. 4. cap. 6. curramus? cum & hanc febrim comitetur synocha, cui omnes medici venæ sectionem præscribunt, tum & angina & peripneumonia, ex qua vt plurimum intereunt.

Sed quæ in contrarium adferantur, audiamus.

Obijcitur primò, Cacochymiæ tollendæ, quæ in variolis est materia, debetur purgatio, non venæ sectio.

Ther. 2. cap. 4. Respondeo primò frequenter hic adesse plethoram, *in omni autem impura plenitudine*, inquit Fernelius, *à venæ sectione auspicanda est vacuatio.*

Respondeo secundò, quod etsi cacochymiæ tollendæ debeatur purgatio, tamen quia in morbi principio, omnia sunt cruda, nec naturæ & pharmaco obsequentia, purgatio omninò interdicitur Aph. 22. lib. 1. per aphor. *concocta medicari & cruda non mouere nisi turgeant*, potiori tamen ratione in variolis, quoniã materia morbifica quæ proprio & peculiari motu à centro ad peripheriã moueri nata est salubriter, per ventrem nisi lethali dissenteriâ euacuari solet, atque ideo ad venæ sectionem recurrimus, quæ his malis non est obnoxia, Aph. 8. l. 4. nec materiæ concoctionem expectare tenetur, quoniam turgentia commodè euacuat,

cuat, nec naturæ motum periculosum, sicut purgatio, molitur, nec igneam qualitatem humoribus, qualiter cathartica, inuehit, sed æstum potius mitigare potis est.

Dicunt 2. variolæ ex hypothesi. 3. sunt materiæ corruptæ pars, per modum χρίσιως vi naturæ à centro ad peripheriam propulsæ à nobilibus ad ignobiles, cauere igitur medicum oportet, ne naturam in laudabili opere interturbet, per aphor. *Ea quæ iudicantur & quæ iudicata sunt perfectè non mouere, neque nouum facere, neque purgantibus, neque alijs irritamentis vti, sed sinere*. multo minus contrarios motus moliri, quippe idem Hippocrates prohibet μὴ τὰ ἐκκεχυμωμένα ἐις τὸ ἔισω ἀπολαμβάνειν, quæ diffusa sunt, non sunt intrò reuocanda, quod maximè in variolis congruit. Aph. 20. sect. 1. De purg. hū. aph. 12.

Respondeo 1. verum esse variolas per modum χρίσιως fieri, sed non semper perfectè, maximè in principio, neque enim sūt semper κεκριμένα ἀρ]ιώς vt habet aph. multò minús ἐκκεχυμωμένα quæ inquit Duret. significant humorem extrauenatum, etenim ex hypothesi 4. statutum est variolas non duntaxat cutaceum esse morbum, sed sæpe maiorem & ferociorem materiæ partem internas & nobiliores partes vrgere, In comm.

quoniam

quoniam tantæ materiæ ſimul edomandæ impar eſt natura, cùm itaque variolæ hac conſideratione ſint per modum χρίσιας imperfectæ, aphoriſmus contra venæ ſectionẽ nihil concludit, quæ concoctiones nec expectat, nec impedit incœptas, ſed illas promouet docente Galeno loco ſuprà citato.

In hoc igitur morbo duplex occurrit cõſideranda materia, vna edomita ἐκκεχυμωμένη εἰς τὰ ἔξω & per alium aphor. κεκριμένη ἀρτίως, partibus cutaceis & venis capillaribus infixa, & impacta, vel etiã extrauenata nam id ſignificat vox ἐκχύμωσις per γ. apud Hippocratem, & illa quæ in venis maioribus & circa partes principes adhuc æſtuat indomita εἰς τὰ εἴσω.

Aph. 20. ſect. 1.

Duret. in coment. & Gal. de morb. pe.

In comēt.

De prima, inquit Duretus, Hippocrates dixit ἐκκεχυμωμένα non ſunt intrò reuocanda, medicamento ſcilicet vomitorio vel deiectorio: de altera non item, docente Galeno, ſtatim ab initio priuſquam in partem aliquam confirmentur, humores vacuandos eſſe. *Cum morbi inchoant ſi quid mouendum videtur, moue*: excipit πλὴν ὧν οἱ πεπασμοὶ ἐκ τῶν χρόνων exceptis ijs humoribus, quorum concoctio in tempore expectatur & ſperatur edomanda, qualis erit relicta à venæ ſectione variolarum ma-

4. de rat. vict. in acut.

Aphoriſ. 29. ſect. 2. Hipp. de purg. hũ. aph. 12.

teria,

teria, *nam tardare in ijs nocuum est* per aph. 10. sect. 4. ideòque tantum materiæ venæ sectione vacuandum est, quantum opus sit vt natura quod reliquũ est facilè secernere possit, & quia purgatione nō licet, nam & catharctica hic non quà expedit nec qualia conferũt vacuare possunt, cruda nimirum sunt, neque per loca conferentia, quia talia dum spontè fluunt hac via lethalem dissenteriam inferunt. per aphor. 2. sect. 4. & 21. sect. primæ.

Ergo quæ edomita sunt per loca conferentia eò ducenda sunt quò maximè natura vergit, & quà vtiliter cōcocta spontè euacuare solet. Quæ verò indomita & indiscreta sunt, & quorum concoctiones non ita possunt tempestiuè ἐκ τῶν χρόνων fieri ad salutem, nec expectari, imò periculum est ne in principem partem irruãt, educenda sanè hæc sunt & vacuanda ante concoctionem, non per loca quibus hæc concocta vacuare solet natura, sed per loca quibus salubriter ea cruda & turgentia sæpè euacuare sponte visa est.

Quod videtur declarare Duret. inquiẽs *Cum humorum pepasmi expertium vis effera purgandi celeritatem vel ineunte morbo requirat, è corporibus nostris ducendi sunt per* *In coaslib. lib. Hipp. de purg. humor.*

loca

loca conferentia, reuellendo, deriuando, coeffundendo, artificio medici ad naturæ imitationem comparato, quod & cunctando putrescant, & in suæ putredinis contagionem partium naturam trahant, omnemque humani corporis œconomiam labefactant, ac symptomatum grauissimorum ab inflammatione & venenatâ qualitate & translatione morbificâ metum inferunt.

Cùm igitur in variolis propter dictas rationes, cruda materia non possit in principio catharcticis vacuari, & concocta nisi per conferentia loca ad peripheriam ducenda sint:

Nos quæ in principio incocta vacuanda sunt, venæ sectione tutò vacuamus, & aphorismis satisfacimus, quoniam eos succos qui principibus partibus ruinam minantur vt turgentia & quæ non satis tempestiuè concoctionem admittent, & quantitate ac malignitate naturæ insultant & circumcircà vagantur, quò ducere expedit, & qualia conferunt per loca conferentia quantum fieri potest in principio salubriter reuellendo & confundendo vacuamus.

Quippe si natura in variolarum principijs cum materiâ indomitâ turget & vrget

vrget narium hæmorrhagia eam ſalubriter vacuat, & materiæ peccantis parte ſe liberat, neque inde ſequantur ἀκρίσιαι, cur venæ ſectione eam materiam coeffundendo, & à principibus partibus reuellendo naturam imitantes nõ ſubleuemus? Equidem epidemiorum hiſtorijs & quotidianâ experientiâ nos tuemur. In Metone hæmorrhagia die quinto ſine coctionis ſignis morbum ſoluit, cum quarto cœpiſſet fluere. In Pericle, cui ex ſiniſtrâ nare ſanguis primâ die multus profluxit. Idem contigit in virgine Lariſſâ, quæ ſexto die (qui, inquit Galenus, nunquam fideliter iudicat) larga hæmorrhagia à febre liberata eſt, & in tantum effecit, vt parte oneris per nares vacuatâ menſes illi fluxerint. *Primo epid. comẽt. 3. ægro. 7. Epid. 3. comẽt. 3. ægro. 6. comẽt. 3. epid. 3. ægro. 12.*

Ratum igitur ſit, poſſe medicum tutò variolis incipientibus à cubitu flexo ſanguinem fundere, vt à principibus partibus potentiùs & celeriùs (quod præcipit Galenus) reuellat, niſi fortè menſes, aut hæmorrhoides ſuppreſſæ, ſaphenæ ſectionem ſuaderent. *Comment. in 2. de reg. acut.*

Porrò cùm tranſactis aliquot diebus erunt copioſæ in corporis ambitu variolæ, tunc reuera in opere natura turbanda non eſt, *niſi,* inquit Meſues, *repletionis ſigna magna* *Summâ 2. part. 1. ſec. 2. c. 6.*

magna perdurent, dico ego nisi grauissima etiam symptomata eam prudenti medico suaserint: *extremis morbis extrema remedia apponenti*: Et licet Galenus suadeat *in morbis exitialibus, nil vllo tempore mouendum, & deploratos medicum attingere non oportere, ne quæ multis profuêre remedia infamentur*, tamen præmissa prognosi de euentu & periculo, Celsi consilium Christianus medicus meliùs sequetur, docentis, præstare remedijs dubiam curam tentare, quam nil agendo ægrum certæ morti relinquere, memores aphorismi *Morborum acutorum nō omninò certæ sunt prædictiones salutis aut mortis*, quod testantur cum quotidianâ experientiâ historiæ epidemiorū.

Aph. 16, lib. 1.

In comēt. aph. 19. lib. 2.

Aph. 19. lib. 2.

Neque verò venæ sectione sanguinem ad centrum (quod putant) reuocamus, nisi plenissima vacuatio instituatur, quam hic cauemus: Quippe si lacuna microcosmi mare est & centrum, ad brachia verò protensæ venæ riuuli ab ea longo tractu oriundi, nunquid qui per basilicam in flexurâ cubiti à lacunâ sanguinem nimiùm æstuantem, qui qua data porta ruit, euocat & euacuat, ad centrum ab extremitatibus reuocat? Quin potius, ni cæcutimus, à centro ad extremitates, à partibus inter-

nis

nis & nobilibus ad externas & ignobiles.

Age, dùm Galenus in Peripneumonia, sanguinis ſputo, iecoris, aut lienis phlegmone in laſſitudine ſpontanea, cum in dorſo lumbiſue pungens dolor adeſt, baſilicam aut mediam ſecari iubet, ipſe ne à peripheria ad partes affectas ſanguinem prolicit? an à lacuna euacuans ab illis reuellit? procul dubio reuellit; Adde quòd cùm extremis venis & capillaribus impactus ſãguis, multo minus extrauenatus retrocedere poſſit, vt probatũ eſt querela 15. niſi fortè pleniſſima vacuatione, quæ hîc omninò vetatur & per aph. *cum bona præmeditatione facienda eſt*, quod, *venarum inanitiones ad extremum nullo modo* in hoc morbo *ducendæ ſint*, non video cur in variolarum principio venæ ſectio damnetur, quinimò & illis iam apparentibus, ſi plethora & vrgentia ſymptomata eam indicarint, *quoniam*, inquit Meſues, *maximum ſit auxilium, proprium & neceſſarium, repeti poteſt ſi repletionis ſigna perdurent*, ſic etiam docente Auicenna lib. 4. tract. 4. cap. 10. Sanè medici Pariſienſes expertiſſimi hodie ſic faciunt, & iam apparentibus etiam fœliciter ſanguinem mittunt.

Lib. 4. de ſanit. tuend. cap. 10.

Aph. 24. lib. 1.

Aph. 3. lib. 1.

Meſues ſum. 2. part. 1. ſect. 2. cap. 6.

Maximè verò eo remedij genere medi-

cus tutò vtitur, quod in eius potestate sit, tantum quantum opus sit vacuare, dum purgantis medicamenti quantumuis benigni, fræna nec teneat, nec ad libitum, sicut in sanguinis vacuatione, moderetur.

At quæres, cur cucurbitulis & hirudinibus eam vacuationem securiùs non moliris, quæ etiam ad peripheriam sanguinem euocat?

Respondeo & his instrumentis venenatam illam labem tutò sic posse vacuari, si suo tempore talis fiat vacuatio: Quemadmodum enim qui iam in extremis venis & capillaribus abdicatus est succus, hirudinibus & cucurbitulis tutò euacuatur, quæ tamen incoctum & æstuantem à corporis centro & principibus partibus vacuare non valent, sic venæ sectio in flexu cubiti materiam in venis maioribus fluctuantem & turgétem, antequam in principem partem irruat, & antequam edomita ad peripheriam propellatur, euacuat. Hinc Mercurialis benè distinxisse videtur scribens. *Magnoperè vtile est sanguinem mittere in variolarum principio, licet & quarto fieri possit, quando incipit ebullitio, ego ferè soleo adhibere cucurbitulas in omnibus, præsertim lumbis, natibus, poplitibus, &*

hos facio, non solum priusquam appareant, sed etiam postquam apparuerint, quandoquidem hoc maximè confert ad attrahendam materiam ad extremas partes. Rectè, at verò cùm tanta fuerit materiæ copia vt non solùm totum corporis ambitum fœdare, sed etiam internas & principes phlegmone afficere cum grauissimis & funestissimis symptomatibus possit & infœlicissimis fructibus, ideò tutũ imò necessariùm ante cucurbitulas è cubiti flexu velocissimè plethoram illam cacochymicam euacuare, quod in phlegmone internas & principes partes affectante præcipit Galenus, sicut & Auicenna & Rhasis & Halliabbas pract. 4. cap. serm. 4. parte 4. *Dico ego,* inquit, *quod cum variolæ & rubeolæ apparuerint signa à prima die vsque ad tertiam phlebotomiam accelerare oportere, extrahaturque sanguis tantum vt desiciat quantitate.*

Mesues summa 1. pars. 1. sect. 2. cap. 6. Albertus Angl. lib. 7. cap de var. Guarner. desider. 3. de peste cap. 6.

Lib 2. de diet. acut.

Dico etiam pueris & iunioribus aliquãdo venam secari posse, etsi rariùs detur occasio, quoniam vt eorum corpora sanguinis minutione facilè exoluuntur teste Galeno *ad Glauc.* ita à putrilagine minùs periclitantur propter liberiorem transpirationem. Hinc corpora compacta neruosa,

 & cu-

& cutis firmæ, omnium maximè cæteris paribus venæ sectione indigent.

Quæritur amplius, an purgatio variolis conueniat,

Ex præcedentibus satis liquet catharcticis naturam hic nullo modo irritãdam, neque in principio, neque in fine cùm consistunt, quia tunc maximè quiescendum:

Attamen ventrem clisterio elui & primæ regionis colluuiem leniente emundari posse omnes consentiunt, & licet Auenzoar lenientium & mollientium medicamentorum vsum suspectum habeat, ne ab humore feroce vincantur: Auicenna tamen eorum vsum cum omnibus suprà citatis authoribus approbauit; Nempè, vt existimo, cùm in hoc morbo à centro ad peripheriam alexiterjs propulsanda sit materia, eaque omnia vt penetrantia obuia quæque secum rapiant, & colluuiem ad internas & nobiles protrudant partes, vel si non penetrarint ob colluuiei resistẽtem obstructionem nil efficiant, ideò ea vacuata, venæ sectio tutiùs peragetur; Lenientium autem vsum, quibus caruit antiquitas, scilicet mannam, cassiam, cum tamrindis & alijs astringentibus permiscent & eorum vsum securum reddunt, &

Tom. 2. tract. 7.

verò

verò vomitus etiam leui pharmaco posset etiam moueri, si natura ad id moueri videretur, nam & sponte in hoc morbo sæpè fructuosè contingit.

Insuper quoniam sanguinis missio sæpè necessaria est, & præceps est eius faciendi occasio quia periculum est ne postea adeò tutò fieri possit, satiùs fuerit medicamentum in posterum diem differre & clistere iniecto venam ilicò secare; & rectè monet Auicenna cùm magnus fuerit iam variolarum prouentus lenietibus nullo modo vtendum, sed Hipp. obaudiendum & omninò quiescendum. *Auicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. de var. Hip. aph. 10. S. 40 Aph. ... lib. 2.*

Hæc sunt quæ veritatis cultoribus nouellis proponenda censui, quæ rationi & experientiæ si cōsentanea inuenerint, Deo O. M. gratias agant, si verò non fuerint omnia sic demonstrata, meminerint illius Galeni χαλεπὸν ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, &, si quis rationi & experientiæ magis conformia scripserit, ea lubenter amplectemur.

Interim monitos hic velim & Primates & Optimates, magna illa in variolis media in manu medici docti & solertis tutissima & efficacissima esse præsidia: Si verò Agyrtæ, è thermis, myropolijs & con-

constrinis prosilientes medicastri ijs vsi fuerint, non-dubium quin infinitos fatis obijcient: nam rectè vetat parœmia, nec puero nec amenti gladium dederis, satiùsque est tales errori populari inservire, quam medicorum optima remedia infamare.

FINIS.



Ex Libris

Antonii [illegible]

Medici [illegible]

anno 17[illegible]

[illegible]



